AUSTIN STICKNEY.

ARISTOPHANIS

NUBES

FABULA NOBILISSIMA

INTEGRIOR EDITA

AUCTORE

CAROLO REISIGIO THURINGO

ACCEDIT

SYNTAGMA CRITICUM CUM ADDITAMENTIS ET COMMENTATIO DE VI ET USU 'AN PARTICULAE

LIPSIAE

IN LIBRARIA WEIDMANNIA

CIƆIƆCCCXX.

CAROLUS REISIGIUS THURINGUS

G O E T H I O

W O L F I O

H E R M A N N O

S A L U T E M

Tandem diuturnum explevi desiderium, quo vehementissime agitabar, ut emerso ex temporum angustiis animo ad vestra sidera evolarem, atque vos publice salutando pectus levarem meum. Nescio enim

quod maius Musarum oblectamentum capiam, quam si relicta solitudine vos alloquar earum antistites, quorum praesidio hae litterae imprimis sustentantur, et ab inertia hominum ac situ vindicantur. Ac te primum compello, qui non in his montium iugis desertis, sed in Parnasso, Helicone, Pindo Euterpe ac Polymnia nutricibus es educatus. Te enim, si viveret Aristophanes, insigniter admiraretur, sicuti omnes, qui vivimus et sapere cupimus, admiramur, te coleret ille quamvis multorum irrisor, te suis celebraret laudibus, qui summo honore Sophoclem in Ranis est prosequutus. Quare te nunc iudicem summis cum Criticis duobus summum poetam elegi, quum magnam partem poeticae virtutis in fabula nobilissima diu obrutam videar mihi equidem restaurasse. Tu igitur iudicabis cum illis duumviris excelso vir in-

genio, GOETHE, num mea opera, quantulacunque est, celeberrimum Comici inventum dignos auctore acceperit reconditiores sales.

Vos autem Criticorum principes, qui ipsi in hoc studio mihi praeivistis viam, vos iam quantum ex vestris laboribus fructum percepi serena fronte intuemini. Saepe ac multum recordor illius temporis prosperrimi, quo tempore vestris sermonibus interfui. Eam in memoriam quotiescunque animus redit, tum ego mirum in modum, mihi credite, me refici ac recreari sentio. Quamobrem lubentissime soleo in ea cogitatione acquiescere atque invitus inde discedere, in qua maximum inveni saepenumero vel incitamentum laborum vel molestiarum solatium. Ita ego penitus affectus eo maiore contentione in hoc opere elaboravi, quo vehementius exemplorum vestro-

rum dignitate atque splendore commovebar.

Vos ergo, magni triumviri, assitis faciles, precor. Ego enim quicquid in hoc genere profeci, vobis consecratum volui: vestra assensione gloriam, cohortatione fiduciam, reprehensione gratiam me esse consequuturum scio. Valete.

PRAEFATIO.

Duobus abhinc annis magno audientium ardore Nubes explicaram, et eo modo, quo nunc in lucem emitto, expoliveram. Et quum mihi prius, more maiorum Academico, esset aliquid disceptandi caussa proponendum, Syntagma Criticum conscripseram, a bibliopola ea conditione acceptum, ut aliquam Aristophanis fabulam, cui illud appendicis loco subiungeretur, adderem. Itaque hunc ei laborem impertire decrevi, praesertim quum, quantum emendatiora Nubium exemplaria docendi caussa a multis expeterentur, intellexissem. Licuit igitur hoc iam tum transigere: sed utrum illo tempore, an postea fieret, non multum intererat. non enim sum tam intemperans scribendi, ut opellas meas festinem. Poteram autem amplum commentarium, quo et criticas rationes expromerem, et, quod etiam antiquius est, dicta sententiasque illustrarem, affundere. Id vero aliquando, ut spero, continget. Nunc enim illud volui potissimum, nomen ut meum redemptori Syntagmatis solverem. Erunt tamen sat multa pa-

rata ei, qui operam meam et facultatem, qualiscunque est, iudicare volet. Habebit Coniectanea, quibus non oscitanter perlectis, magnam rationum partem de rebus nonnullis gravioribus inveniet: adibit Syntagma, quod affixum est, propter novam melici formam carminis, vv. 1157 — 1170., et crasium exprimendarum rationem meam: apposuimus etiam de ἄν particula commentationem ad versum 415., ferme quadraginta annos male et scriptum et usurpatum: praeterea de aliis rebus, et longe quidem gravissimis ad intellectum fabulae, deinceps exponam.

Nulla enim fuit unquam vel nostra vel superiorum memoria difficilior aut maior de fabulis Aristophanis quaestio, quam quibus ille caussis in Nubibus Socratem non solum summa acerbitate perstrinxerit, sed etiam personam eius longe a veritate atque adeo a vulgi cognitione, quatenus memoriae est prodita, abhorrentem finxerit, eàque tantâ licentiâ Platoni, homini liberalissimo, Socratis amico candidissimo, elegantiarum iudici peritissimo, ita placere potuerit, ut ab eo et Epigrammate splendidissimo ob admirabilem gratiam atque venustatem suam laudaretur, et Convivio festivissimo ipse una cum eodem Socrate, quem famoso carmine proscidisse multis visus est, adhiberetur. Erat autem ineptissima opinio disseminata olim, nunc satis a doctissimis viris explosa, ab Anyto corruptum fuisse Comicum, ut invidiam multitudinis in Socratem concitaret. Isti, credo, malevoli homi-

nes hoc pacto tres atque viginti annos cessassent atque accusationem distulissent suam, donec sermones hominum refrigescerent, et Socrates bonam vitae partem transegisset, consilium denique atrocissimum suum temporis longinquitate rerumque vicissitudine forte frangeretur. Nullam vero omnino iniuriam vel contumeliam gravem Socrati ab Aristophane, pro illorum temporum licentia, fuisse illatam, maximo documento illud ipsum in Platonis Symposio consortium iucundissimum est: quod quidem ita esse debere, prudentissimi quique perspexerunt. Non enim hoc a Platonis divino ingenio committi potuit, ut consociaret Socratem cum inimicissimo sui, atque laetissimos coetus virulenti hominis praesentia et rerum infestissimarum memoria turbaret. Quare dupliciter statuerunt recentiores plerique, partim Socratem personam induisse Sophistarum, eorumque esse ingenium irrisum, Socratis vultum tantummodo, incessum atque relicuum corporis habitum, victum cultumque ansam iocorum dedisse: partim, iique, ut mihi videntur, diligentiores, Socratem suas ipsius partes egisse censuerunt, atque suspicati sunt eum fuisse revera media ferme aetate sua Physicorum Sophistarumque abundante doctrina refertum atque insaniente sapientia elatum, eius ut consimilis exstitisset, cuius postea dissimillimum fuisse constat.

Atque illi quidem, qui Socratem in naturam prorsus alienam ab Aristophane mutatum

putant; obscuritatem minime tollunt, poetamque non modo improbum, sed etiam inficetum, inopem ingenii, insulsum atque ignavum reddunt. Hoc enim est calumniari, falsa in aliquem crimina conferre, et vitia comminisci a quibus longe semper esset alienissimus. Id ubi tandem commisit Comicus, qui neminem laesit indignum? Sed

> si quis erat dignus describi, quod malus aut fur,
> quod moechus foret, aut sicarius, aut alioqui famosus, multa cum libertate notabat.

Seditiosos cives et improbos, ignavos ac flagitiosos vexavit, Cleonem, Hyperbolum, Cleonymum, Clisthenem, Cinesiam, alios de eodem genere pessimos: ventilavit Euripidis exilitatem atque ieiunitatem, dicta atque sententias ab dignitate et granditate tragoediae discrepantes: at summo in honore habuit Sophoclem, admiratus est Aeschylum: singula utriusque leviora peccata notavit leviter: Periclem attigit aut levissime, aut nunquam, ut arbitror, non verissime. cfr. Nubb. v. 858. Acharnenss. 530. Pac. 606.. Quid multa? virtutem coluit, vitia exagitavit, et acerbe quidem gravia, tenuia leviter insequutus. Optimus profecto ille non solum Graecitatis, sed, ut mihi videtur, etiam morum magister, libere ipse profitetur in Vespis inde ab v. 1030., quam fortiter perditos homines sit aggressus, seque *ἀλεξίκακον* appellare coram spectatoribus audet, *τῆς χώρας τῆσδε καθαρτήν*, tum quum illis iniu-

riam in Nubes exprobrat, fabulam anno ante editam et Amipsiae Conno et Pytinae Cratini posthabitam: in qua quidem fabula exquisitissime inventa se sparsisse ait, sed illos non penitus perspexisse:

καινοτάταις σπείροντ' αὐτὸν διανοίαις,
ἃς ὑπὸ τοῦ μὴ γνῶναι καθαρῶς ὑμεῖς ἐποιή-
σατ' ἀναλδεῖς.

At elegit Socratem iccirco, inquis, quia ridendi materiam ab eius forma atque figura captavit, ut solo aspectu eius risum commoveret. Ita vero, nisi cetera congruerent, sanequam exiguo ingenio fuisset Comicus, qui nulla sciret ipse ridicula excogitare, sed ea aucupari cogeretur, quae trita et pervagata atque omnibus communia essent, quantumvis personae partibus contraria. Talem vero eum non novimus, neque istam inertiam usquam alibi in eo vidimus. Ac si semel illud studebat, ut Socratis mores ridiculos carperet pariter atque Sophistis illuderet, via patebat multo facilior Socratem cum Sophista aliquo, quem Strepsiadem appellare licebat, componendi, quo consuetudo illius aetatis servabatur et constans poetae locupletissimi ratio, personarum memoriam non ementiendi. Quamobrem qui eum ignavum criminantur, et Socratis personam pro claro Sophistae cuiuspiam nomine ob metum eorum posuisse arbitrantur, non vident, quanto id etiam verius potuisset illum in modum fieri, quem ostendimus? Aristophanem autem timuisse Sophi-

starum impetum, quis tandem credat, quum nec aliorum, neque Cleonis tela reformidarit? Et quomodo Sophistae eum ulcisci potuissent, nisi salibus atque facetiis? Id scilicet metuebat ille omnium facetissimus atque salsissimus. Adeo nihil proficimus illa quorundam interpretatione, ut tantum esse dictum videatur, se nescire, quomodo Socratis persona ad has partes convenerit.

Quare consideratius saltem arbitratus est Wolfius (quo sua sponte animus libere legentis fertur) cadere criminationes illas omnes in Socratem, non in alium quenquam, oportere. Quem quidem aliquando obscuris atque spinosis philosophorum disputationibus studiisque inanibus rerum abditarum deditum fuisse existimat, priusquam ipse de coelo avocaret philosophiam atque ad vitam communem traduceret. Et tale aliquid ostenditur in Platonis Phaedone p. 97. B. HSt., ubi Socrates Anaxagorae Physica magno gaudio in manus sumpsisse atque incredibili aviditate perlegisse se profitetur. Verum idem se elusum sensisse ait, quum summam quaestionis de rerum natura praetermissam intellexisset. Attigit Archelai quoque disciplinam, teste Diogene Laertio: Heracliti librum quendam, secum ab Euripide communicatum, leviter gustavit, et cum ex eo, quid iudicaret, rogasset Euripides, quae quidem intellexi, inquit, praeclara: credo, etiam quae minus ego. sic enim traditum est ab eodem Diogene, II. §. 22. In Platonis Cratylo, ab initio, se Pro-

dici quinquaginta drachmarum doctrina caruisse ostendit, unius duntaxat drachmae institutione eius informatum. Atque ex Xenophontis Memorabilium libro I. c. 1. §. 10. sqq. perspicitur, eum varias clarissimorum philosophorum sententias cognovisse, sed huic disciplinae non multum tribuisse, et vanam eorum operam iudicasse. Quamobrem, etsi versatum eum fuisse in philosophorum disciplinis credas, tamen iactasse hanc doctrinam unquam atque ostentasse nemo quisquam scriptorum litteris mandavit. Atqui si fuisset Socrates ullo tempore in rebus occultis tanta vehementia occupatus, quantam Aristophanes videtur describere potuisse, scriptor eius fidelissimus certe non reticuisset, sed plane aperuisset, sententiaeque mutationem tantam accurate explicasset, praesertim quum fabulae nobilissimae argumentum priorem meditationum partem contineret. Ut si quis medici alicuius clari non modo historiam traderet, sed praecepta attingeret, qui ad extremum Hippocratis prudentiam atque cautionem multorum audaciae atque temeritati antetulisset, quum prius atrocissimae adhaesisset atque saevissimae medendi disciplinae, quis non pristinam eius rationem studiorum, longissime a posteriore abhorrentem, curiose memoraret? Accedit etiam illud, quod Plato et Xenophon, ubi vulgi de Socrate rumorem, eum *ἀερομετρεῖν* atque *ἀεροβατεῖν*, vel duplici uti dicendi genere, eumque posse et vera attenuare et corroborare falsa, attigerunt, diligenter id ex co-

moediae fontibus manasse affirmant. Legas modo Platonis Apolog. p. 19. D. HSt. et quae deinde commemorabo. Igitur licet illa philosophorum de rerum natura placita Socrates domesticis studiis pervestigarit, tamen nisi aliquid horum ullo modo in vulgus emanavit atque ad publicum pertinuit, non erat naturae veteris comoediae consentaneum ea in scenam producere illius studia, quae scire populi parum intererat, quippe in parietum umbraculis nullo reipublicae neque commodo nec detrimento latentia.

Illud igitur nunc agitur, ut declaretur, quomodo se gesserit Socrates publice, quibuscum versatus sit in conspectu omnium familiarissimeque vixerit, ut in physicae philosophiae reprehensionem et frivolae scientiae vituperationem incurreret. Certissimo in hanc viam duce ipso utimur auctore, qui eundem Socratem una cum Euripide, familiari eius notavit in Ranis, vv. 1491 — 1499., testimonio omnium luculentissimo,

χαρίεν οὖν μὴ Σωκράτει
παρακαθήμενον λαλεῖν,
ἀποβαλόντα μουσικήν,
τά τε μέγιστα παραλιπόντα
τῆς τραγῳδικῆς τέχνης.
τὸ δ' ἐπὶ σεμνοῖσιν λόγοισι
καὶ σκαριφισμοῖσι λήρων
διατριβὴν ἀργὸν ποιεῖσθαι,
παραφρονοῦντος ἀνδρός.

Primo laudatur Aeschylus, quod non cum Socrate consuetudine inita poeticam facultatem amiserit:

Lepidum ergo non Socrati assidentem garrire musica arte perdita ac summa virtute neglecta poesis tragicae. Deinceps tangitur Euripides ob Socratis familiaritatem: at grandiloquis sermonibus et quisquiliis nugarum putide conversari, est insanientis. Dicebatur enim Socrates *συμποιεῖν Εὐριπίδῃ*, eiusque adiutor esse in carminibus pangendis. Quod ita innotuerat, ut ea de re etiam ab aliis Comicis pungeretur, quorum exempla commemoravit Diogenes Laert. libro II. §. 19.. Adde pervulgatam historiam Aeliani, Socratem theatrum non frequentasse, nisi ubi Euripides certamen institueret.

Iam vero reputet atque revolvat aliquis velim ipsum Socraticae grandiloquentiae exordium,

ὦ δέσποτ᾽ ἄναξ, ἀμέτρητ᾽ Ἀήρ, ὃς ἔχεις
τὴν γῆν μετέωρον,
λαμπρός τ᾽ Αἰθήρ, σεμναί τε θεαὶ
Νεφέλαι βροντησικέραυνοι.

Cui haec non statim in memoriam revocant Euripidis sententias a Valckenario congestas in Diatribe, p. 35 — 57.: ut p. 47.,

ὁρᾷς τὸν ὑψοῦ τόνδ᾽ ἄπειρον Αἰθέρα
καὶ γῆν πέριξ ἔχονθ᾽ ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις·
τοῦτον νόμιζε Ζῆνα, τόνδ᾽ ἡγοῦ θεόν:?

p. 48. *ὁ περὶ χθόν᾽ ἔχων φαεννὸς Αἰθήρ* dicitur similiter atque hic. Euripidis enim carmina referta fuisse Anaxagorae imprimis doctrina, quis eruditorum nescit? Illa autem omnia in Nubibus

maximam habent Euripidis similitudinem. Ipse adeo ille *αἰθέριος δῖνος* v. 379. est *αἰθέριος ῥύμβος* in Euripidis versibus ex Clemente atque Eusebio allatis a Valckenario p. 39.. Iupiter quis fuerit Euripidi, versus supra memoratus docet: idem negatur esse in Melanippa,

> *Ζεύς, ὅστις ἐστίν, οὐ γὰρ οἶδα πλὴν λόγῳ κλύων:*

ut in Nubibus illa *οὐδ᾽ ἔστι Ζεύς* v. 367. cum his plane conspirent. V. 330. *Νεφέλαι* dicuntur Sophistas alere et id genus quamplurimos, *πλείστους αὗται βόσκουσι σοφιστάς.* Haud aliter Aether invocatur ab Euripide in Aristophanis Ranis, v. 891.,

> *Αἰθήρ, ἐμὸν βόσκημα.*

Quid quaeris? quae de rebus coelestibus docet Socrates, sunt eiusmodi, ut in Euripidem cadant omnino, nisi quod hic poetico more, non velut ludi magister res suas exposuit.

Superest inter magistri praecepta illud eximium, quod dicendi exercitationi omnia tribuit, et a Gymnasiis deterruit. Fingitur enim duplex habuisse dicendi genus, *τὸν κρείττω λόγον καὶ τὸν ἥττω,* atque incredibili arte persuadendi valuisse. Id etsi ab Socratis ingenio non discrepat, qui captiose disputare callebat, et magnam diei partem in sermonum varietate consumere consueverat: quare *ἐν τοῖς ῥητορικοῖς δεινὸς* iudicatus ab Idomeneo apud Diogenem Laert. libr. II. §. 19.: qui quum eloquentiae operam daret, docere eum hanc artem

triginta vetuerunt tyranni, teste Xenophonte in Memorabill. I. c. II. §. 31.: sed tamen non minor fuit Euripidis in hoc genere facultas. Quinetiam pro numine divino invocatur linguae volubilitas ab Euripide, *γλώττης στρόφιγξ*, una cum Aethere in Ranis Aristophanis v. 891., quemadmodum Socrates in Nubibus v. 423. numina posuit *τὸ Χάος τουτὶ καὶ τὰς Νεφέλας καὶ τὴν Γλῶτταν, τρία ταυτί.*

At Gymnasiis vero constat Socratem egregie favisse: nam et Xenophon hoc tradidit, eum mane in ambulationes et gymnasia egressum, et Plato in Critone p. 50. D. HSt. fecit eum laudare *γυμναστικήν:* eundem robusto corpore fuisse, tum aliunde tum ex Platonis Symposio cognitum. Quo magis mirandum, quod in Nubibus, v. 416., discipuli Socratis ab Gymnasiis avertuntur. Et Diogenem quidem Laertium, illos versus commemorantem, videmus alia uti scriptura *καὶ ἀδηφαγίας* pro *γυμνασίων.* Fortasse hoc exstitit priore Nubium editione, nam et aliis rebus Diogenes a vulgatis libris dissidet: quem ita scriptum reliquisse puto:

ὦ τῆς μεγάλης ἐπιθυμήσας σοφίας ἄνθρωπε δικαίως,
ὡς εὐδαίμων ἐν Ἀθηναίοις καὶ τοῖς Ἕλλησι διάξεις.
εἰ γὰρ μνήμων καὶ φροντιστής, καὶ τὸ ταλαίπωρον ἔνεστιν
ἐν τῇ γνώμῃ, κοὐκ ἔτι κάμνεις οὔθ' ἑστὼς οὔτε βαδίζων,

οὔτ' αὖ ῥιγῶν ἄχθει λίαν, οὔτ' ἀρίστων ἐπιθυμεῖς,
οἴνου τ' ἀπέχει καὶ ἀδηφαγίας καὶ τῶν ἄλλων ἀνοήτων.

quanquam ista omnia sic ab Aristophane esse profecta primum hanc fabulam edente, affirmare nolim: potuit enim Diogenem memoriter citantem verbulum aliquod vel construendi genus fallere.

Verum deterruisse ab Gymnasiis item Euripides arguitur in Ranis Comici, v. 1070.. Culpatur enim, quod adolescentes ad linguae volubilitatem nimium incitarit et ab corporis laboribus deflexerit:

εἶτ' αὖ λαλιὰν ἐπιτηδεῦσαι καὶ στωμυλίαν ἐδίδαξας,
ἣ 'ξεκένωσεν τάς τε παλαίστρας καὶ —

de eodem conqueritur Aeschylus paullo post:

λαμπάδα δ' οὐδεὶς οἷός τε φέρειν
ὑπ' ἀγυμνασίας ἔτι νυνί.

His igitur Socrati detractis videmus hominem notissimum, et agnoscimus qualem nobis alii descripserunt, *ἀνυπόδητον, καρτερικόν*, torvo vultu et specie arroganti, *βρενθυόμενον*, quod egregie placuit Platoni, Sympos. cap. 36., denique meditando penitus occupatum: *Χάριτας* quoque eius, quas obtestatur, novimus. Et quid de caussis ambigimus, propter quas Socratem insignem inter philosophos habuerit, quum ipse per Chorum profiteatur v. 359. — 362.,

οὐ γὰρ ἂν ἄλλῳ γ' ὑπακούσαιμεν τῶν νῦν μετεωροσοφιστῶν

πλὴν ἢ Προδίκῳ· τῷ μὲν σοφίας καὶ
γνώμης οὕνεκα, σοὶ δέ,
ὅτι βρενθύει τ' ἐν ταῖσιν ὁδοῖς καὶ
τὼ 'φθαλμὼ παραβάλλεις,
κἀνυπόδητος κακὰ πόλλ' ἀνέχει,
κἀφ' ἡμῖν σεμνοπροσωπεῖς.?

Ex his manifesto apparet, eum non magnam doctrinae copiam vel subtilitatem Socrati tribuisse: quippe Prodico ob ingenium et sapientiam se obedire aiunt Nubes: Socrati ob figurae morumque insolentiam. Atque in Avibus v. 1555. idem Socrates propter immundum corporis habitum una cum Chaerephonte suo *ἄλουτος ψυχαγωγῶν* inducitur:

λίμνη τις ἔστ', ἄλουτος οὗ
ψυχαγωγεῖ Σωκράτης:

sic enim corrigenda est vitiosa interpunctio: ibidemque v. 1282. hirsutum degere, famelicum et squalidum ad morem Socraticum refertur:

ἐκόμων, ἐπείνων, ἐῤῥύπων, ἐσωκράτουν.

nam lotum esse et comptum non erat sane consuetum Socrati, ipso Platone teste in Symposio Cap. II. §. 3., *ἔφη γάρ οἱ Σωκράτη ἐντυχεῖν, λελουμένον τε καὶ τὰς βλαύτας ὑποδεδεμένον, ἃ ἐκεῖνος ὀλιγάκις ἐποίει.* Sed ut eum in rebus exilibus, aut natura involutis, qui non ipsius sed Sophistarum mos erat, versantem atque laborantem faceret, id Euripidis familiaritate Physicorum placita ebullientis accidisse credendum est, uti diximus; quoniam in poetica arte ei subministrare nonnulla dicebatur, ita ut ipse quoque in meteorologi-

carum rerum scientiam aeque atque Euripides incumbere videretur.

At quanquam rationem huius rei assequutus videor, quam alii quasi praetereuntes leviter suspicabantur, tamen id fieri nullo modo sine Euripidis istius societate poterat: eum oportuit adesse mediusfidius, fere *παρακαθήμενον Σωκράτει*, ut auctor voluit in Ranis, et in scena conspici. Atque id vere factum est, ac diu oblitteratum nunc tandem, ut equidem arbitror, in lucem revocatum.

Diogenes Laertius enim libro II. §. 19. litteris consignavit ex Aristophanis *Νεφέλαις* liquido versus hos:

Εὐριπίδης δ' ὁ τὰς τραγῳδίας ποιῶν
τὰς περιλαλούσας οὗτός ἐστι τὰς σοφάς.

Haec quoniam in nostris Nubium exemplaribus non comparuerunt, Brunckius aliique inter fragmenta priorum Nubium retulerunt. In eo igitur si consentimus, usum esse Comicum illis in Nubibus primum editis, cur idem reiecit postea? Ad hanc rem iudicandam neminem adhiberi volo, nisi qui iusta Comici lectione sensum non singulis quibusque facetiis, sed universi ingenii et animi eius cognitione imbuerit. Nemo est enim omnino, quem acrius ac saepius insectatus sit, cuius lacerandi occasionem quamvis cupidius arripuerit, quam bonus ille Euripides. Et quum Cleonem, Hyperbolum, alios tamdiu momorderit, dum viverent aut florerent, ubi occidissent, fere reliquerit, quod videre licet in Pace, v. 649., Euripidi ne

mortuo quidem pepercit. Nempe hic, etiamsi obierat, vivebat, quia scriptorum eius vigebat memoria. Quo minus dubitandum esse arbitror, Aristophanem hos versus aut nunquam expunxisse, aut aliquid eiusdem generis in eius sententiae locum recepisse, quod quidem nusquam exstat.

Hoc ergo si consideres, et quam ante dixi necessitudinem Socratis cum Euripide hanc ei Nubium tempestatem contraxisse intelligas, ecquid dubitabis, horum suscepto versuum patrocinio, in loco maxime commodo reponere? An vero locus potest commodior ullus reperiri, quam ille, in quem induximus, ipsa orationis specie commonstratum, post versum centesimum secundum et nonagesimum? Nam etsi satis acerbe Euripidem tractavit in Acharnensibus, Thesmophoriazusis, Ranis, non potuit tamen ullum genus salis gravius tirere, quam quod in eum, tanquam inter Socratis discipulos primarium inspersit. Vides autem eum ipsum meteorologum, qualem notare potuit Aristophanes: nam c u l u s e i u s a d c o e l u m i n t e n t u s a s t r o n o m i a e o p e r a t u r. Socrates vero doctoris partes eas, quas ex Euripidis consortio accepit, tenet.

Sed in versibus illis, quos tanquam ex fuga retraximus, Jacobsius ad Sulzeri theoriam, Vol. V., ut sententia, cuius caussa ab Diogene prolati sunt, Socratem *συμποιεῖν Εὐριπίδῃ*, constaret, coniecit fuisse *Εὐριπίδου* positum [illegible] [illegible] *Εὐριπίδῃ* principium [illegible]

esse, si modo esset ullum: quumque hoc modo Socratis inesset descriptio, quis sibi persuaserit, priore Nubium editione summum magistrum tam multis verbis et genere dicendi tortuoso tam parum ample laudatum esse, neque Aristophanem iam tum illud et brevitate et magnificentia insigne *αὐτός* in promptu habuisse? Immo vero Diogeni, illa quum excitaret, ipsum fabulae argumentum, Socratis schola expressum, in mente atque animo versabatur.

At haereant nonnulli in eo fortasse, quod binos versus excidisse statuerim in tot exemplaribus, quot circumferuntur hodie de Nubibus. Quasi vero nulla unquam lacuna fuerit in veterum scriptis, aut integra omnia nostram aetatem tulerint. Quam multa mutilata creduntur a metricis antistrophica examinantibus et exaequantibus. Apud eos quantum metrorum leges valent, tantumne nobis scriptorum memoria et poetae ingenium persuadebit? Et quanto nos cautiores testimonia disertis verbis tradita intuemur, perpendimus rationem fabulae et animum poetae manifestum sequimur, quam Valckenarius, Brunckius, Porso, nullis his rebus adducti, illum ab Suida tanquam versum Aristophanis quendam litteris mandatum

αὐτὸς δείξας, ἔν θ' ἁρμονίαις Χιάζων ἢ Σιφνιάζων

Nubibus post v. 970. inserendum pronuntiarunt. Unum iam restat, quo fabula nunc multo

iocosior atque facetior reddita in ipso exitu turbatur, quoniam Socrates incensis tegulis eiulare coepit:

οἴμοι τάλας, δείλαιος ἀποπνιγήσομαι.

Displicuerunt haec Wolfi stomacho, neque ferunt meus. Tantum ille verissime: Nur wäre zu wünschen, der folgende Ausgang stände hiemit nicht in so hartem Missklange p. XVII.: deinceps ei non assentior: und wir hätten den wahrscheinlich komischeren Schluss einer anderen Ausgabe, worin der Dichter das Sokratische Studienhaus nicht verbrennen liess. Nam simul animum ad librorum monumenta adverteris, suspicio erroris in personis annotandis ex eorum discrepantia oritur. Aperta adeo Ravennatem librum corruptela invasit, qui duos versus Socrati assignatos habet, multo melius discipulis attributos vulgo, vv. 1500. 1502. Huius igitur vitii contagio nonne potuit facillime etiam ad versum ultimum pertinere? Eum vero item discipuli alicuius esse contendo, ut Socrates nihil nisi illud roget:

οὗτος, τί ποιεῖς ἐτεόν, οὑπὶ τοῦ τέγους;

Ita vide quanta insit extremae scenae festivitas. Naturam ridiculi in his ut perspicias, finge tibi immanem atque efferum discipulorum clamorem, et meditabundi Socratis divinam tranquillitatem: quem si fractus labatur orbis, non possit ruina a studiis sapientiae avertere, praeterea Strepsia-

dis iniuriam ulciscendi ardorem, fatui hominis, quo minime terretur Socrates. Videsne morem eius in cogitationes ita incumbendi, ut ab aliis rebus omnibus avocaretur, a Platone binis in locis Symposii Cap. III. et XXXVI. egregie descriptum? Qui in expeditione militari ab uno mane ad alterum stabat meditationi intentus, ac ne nocte quidem ingruente abducebatur. Hoc tandem modo crediderim dignum Comico exitum etiam in tectorum incendiis videri. Intelligas autem, quantum interdum momenti in unius personae mutatione sit.

Sed multi adhuc in eo criminantur iniuriam, quod homini innocentissimo etiam furtum imputaverit v. 179. Sed haec verba, bona venia summorum virorum dixerim, neminem esse vere interpretatum puto. Nihil proficimus articulo demendo, quem tamen melius Hermanno Brunckius attentaverat. Illud enim scire cupimus imprimis, quomodo ex umbra scholae repente in palaestrae lucem deferamur. An vero in palaestra mensae stabant? Quod si ita est, atque rem in palaestra non intra domesticos scholae parietes narrare voluit, nonne illum ipsum locum statim initio narrationis memorare debuit: *ἐν τῇ παλαίστρᾳ καταπάσας λεπτὴν τέφραν κατὰ τῆς τραπέζης, εἶτα διαβήτην λαβών, κάμψας ὀβελίσκον* —? Ita fecit vertendo Wolfius:

In der Ringeschule streut' er Asche da auf den Tisch,

Dann nahm er ein Bratspieschen
und verbog's als Zirkel drauf,
Und hurtig hatt' er das Oberkleid
dort wegstipitzt.

Id etsi narrandi genus paullo emendatius est, tamen fictum illud a Wolfio, non ab Aristophane factum. Eius autem narratio in hanc sententiam instituta: quum non haberent discipuli, unde coenam sumerent, Socrates magister, ut iis famem expelleret, artificium excogitavit, quo illi vel delectarentur vel docerentur. Insperso igitur in mensam pulvere, veruculo incurvato et circulo prehenso, non quod alias fecerat, geometriam docuit, sed furti cuiusdam astutiam ab facilitate suavissimam et iocosissimam in pulvere descripsit, quomodo sibi posset aliquis vestem surripere. Eo nimirum vendito coena parari potest. *τὸ ἱμάτιον* est id, quod adiacere statuerat, ut quaestionem propositam explicaret: *ὑφείλετο* autem non est ita dictum, quasi furatus esset aliquando ex palaestra vestem, sed in argumentum mathematicae eius demonstrationis cadit: quemadmodum in Pluto, v. 168., *ἃ δ᾽ ἄλλους γε μοιχὸς διὰ σέ που παρατίλλεται*, verbum *παρατίλλεται* non de actione exsequendae poenae, sed de legis auctoritate dictum: hanc enim poenam lege constitutam dicit non tam ut adulteria coercerentur omnino, quam ut rei divites multam subire mallent. Fefellit in his coniectura Valckenarium non magis quam Boeckhium ad Minoem p. 174. Aeschylus in Ranis, v. 911., *ἕνα τιν᾽ ἂ*

κάθισαν ἐγκαλύψας, personam obvolutam fecit sedere, nempe ut tragoediae poeta: Porso in Supplem. Praefat. ad Hecub. p. XLIV. Lips. minimum docte posuit καθεῖσαν: in Lysistrata, v. 587., ταυτὶ ῥαβδίζειν καὶ τολυπεύειν ad argumentum orationis Lysistratae referuntur, ista de tundendo et glomera nectendo garrire.

Itaque criminatio illa multum elevatur aperto iocandi consilio. Nam quum Socrates geometriae operam daret, voluit Comicus eximiam eius vim vafritie problematis exponendi in iocum vertere, discipulique iactantiam, qua capiebatur Strepsiades mirum in modum, depingere, sive ille calliditate ita se gesserat ut alliceret Strepsiadem lucro inhiantem, sive stulta magistrum collaudandi cupiditate, quum, quantum eum dehonestaret suo praeconio, nesciret.

Iam vero in mentem mihi venit etiam Chaerephontis illius, qui item in hac fabula traductus est tanquam Socratis discipulus officiosissimus. Idem in Avibus v. 1564. Socrati deditus appellatur Χαιρεφῶν ἡ νυκτερίς, quasi dicas: Freuelicht, die Nachteule. Meminit eius cum Socrate familiaritatis Xenophon Memorabill. libro II. Cap. 1. Credas fuisse eum quoque ἀνυπόδητον ἀεί, sicut Aristodemum in Platonis Symposio, et victu duro praecipue Socratis aemulum.

Itaque animus in eam cogitationem incidit, omnino ut magis discipulos quosdam Socratis et sectatores affligi quam ipsum magistrum existimem,

Nam et in Avibus turpe notavit eius imitatorum pecus peculiariter; et in Nubibus videmus praeter propriam quandam Socratis speciem ridiculam, quam Chorus ostendit, plurimam ei vituperationem asseclarum ineptiis esse conflatam. Nam alias quoque intelligas multum nocere claro doctori absurdos discipulos. Et eorum quidem caussa credo poetam etiam sua sponte a veritate recessisse atque umbraticum fecisse Socratem ac solitarium, qui erat vagus et circumforaneus, quoniam aemulatorum gregem circa eum constipatum, suis quemque moribus atque figura, eorum in modum, qui signa fabricantur, fingens, voluit spectari. Id non poterat inter opifices, quos in tabernis visitare consueverat, fieri, sed poetica libertate inveniendus locus erat, in quem omnes illi praeceptoris eximii minimis in rebus admiratores cogerentur. Atque hoc credo esse illud poetica arte inventum, quod auctor in Vespis negavit satis intellectum fuisse a spectatoribus, vel iudicibus, quibus magis placuit Socratis descriptio in Conno Amipsiae. Is enim videtur eum talem introduxisse, qualis in hominum oculis versabatur, otiose in viis obambulantem et curiose colloquentem. In hanc certe sententiam exstat ab eo dictum apud Diogenem.

Σώκρατες, ἀνδρῶν βέλτιστ' ὀλίγων, πολλῶν
δὲ ματαιότατ', ἥκεις
καὶ σὺ πρὸς ἡμᾶς —.

His iam confectis, non commorabor in eo, quod Socratem etiam mercedem doctrinae capere et ta-

lentorum munera v. 875. iactare finxit, quem Xenophon atque Plato gratuita institutione non suis commodis sed usui aliorum prospexisse tradiderunt. Etenim illud quum usitatum esset philosophiae doctoribus, potuit in Socratem facile transferri, quippe hominem pauperculum neque, ut arbitror, liberalitate sua post aliquanto laudatissima, vulgo tum cognitum atque spectatum: quin etiam paucis beatioribus eius doctrinam admodum dignam muneribus esse visam credo.

Ceterum ut Socrates inde ab eo tempore, quo fabula haec primum est edita, *ἀεροβατεῖν* et duplex tractare dicendi genus diceretur, *τὸν κρείττω λόγον καὶ τὸν ἥττω*, id facile fieri potuisse, rumore hominum multitudine comoediam usurpantium dissipato, liquet. Itaque evenisse, ex Platonis Apologia et Xenophontis Oeconomico, Cap. XI. §. 3., apparet. Sed illud quoque circumferebatur, quod ab Eupolide *ἀδολέσχης πτωχὸς* erat dictus: cuius rei ipse mentionem fecit in eodem Oeconomico et Platonis Phaedone, p. 70. B. HSt. Adeundus de hac re Ruhnkenius in annotatione ad Xenoph. Memorabb. lib. I. Cap. II. §. 31.: quae autem Eupolidis verba ab Olympiodoro MS. relata dicuntur, ita corrigo:

τί δῆτ' ἐκεῖνον
τὸν ἀδολέσχην πτωχόν, ὅς-
τις τἄλλα μὲν πεφρόντικεν,
πόθεν δὲ καταφαγεῖν ἔχοι,
τούτου κατημέληκεν.

nimirum *ἀδολέσχην* habeo praedicati loco, *πτωχόν* obiecti.

Tandem revertor parumper ad Euripidem. Eum eadem in fabula etiam aliis in locis vellicari, patet: veluti nominatim v. 1374. Sed minus perspecta sunt illa, quibus occultius notatur, v. 30. *τί χρέος ἔβα με.* Wolfius vertit: welche Schuld bedrung mich. Ille igitur aculeos formae doricae insitos arbitratus ab inusitata vernaculi sermonis forma redintegrare studuit. Atque in grandiore dialecto etsi aliquid inest in rem tenuem adhibita ridiculi, tamen maxima pars facetiarum sita est in eo, quod aes alienum cum cimice comparatur. Intelligendum est enim, qui in nummorum angustiis versentur aere alieno oppressi, quum solvendum est, solere caput radere et dorsum. Quare Strepsiades aeris alieni tanquam cimicum morsibus vexatus, dum corpus radit, ita loquitur: doch welche Schuld beschlich mich: quasi *τίς κόρις ἔβα με* cogitasset, cimicem venaturus. Eodem modo v. 13.

δακνόμενος,
ὑπὸ τῆς δαπάνης καὶ τῆς φάτνης καὶ τῶν χρεῶν,

alludit sono ad *κόρεων*. Vernaculo sermone sic effingas:

es beissen mich:
Die Schuldenzahl, der Pferdestall, Aufwand zuviel,
Des Sohnes wegen hier:

nam vocum quoque illarum similitudo δακάνης et φάτνης servanda.

Sed quoniam quod pro fragmento priorum Nubium numerabatur, etiam cum posterioribus communicavimus, illius in locum substituam aliquid proprium prioris editionis. Atque in singulis verbis ex codicibus quibusdam reliquias eius nonnullas eruere licuit in Coniectaneis, ut p. 173. p. 105., et in metrorum ratione, p. 58.: ita enim interpretor eximiam librorum in suo cuiusque genere conspirantium auctoritatem. Minime autem praetermittendus est hoc loco Ravennas liber, tum alibi tum v. 1166. cum quarto Regio consentiens in ἐχθροῖς βλάβη. Exquisitior est scriptura plurimorum ἐχθροῖς ἀνιαρός, quam ut possit pro falsa condemnari, praesertim ipso auctore testificante in Pluto, v. 561., τοῖς ἐχθροῖς ἀνιαροί. Antistrophicam concinnitatem quomodo descripserim, vides. Eadem vero lege prius ab auctore compositi inter se erant versiculi:

σωτὴρ δόμοις
ἐχθροῖς βλάβη.

Licebit nunc eodem in genere Grammaticos consulere. Et eiusmodi aliquid doceri videmur Photii Lexico, p. 315., μέγα φρονεῖ μᾶλλον ἢ Πηλεὺς ἐν (MS. D. ἐπὶ) τῇ μαχαίρᾳ. Videtur hoc fragmentum versus esse versui millesimo septimo et sexagesimo appositi, omisso hemistichio ἀλλ' οὐ μὰ Δί', οὔ, μάχαιραν, in hunc fere modum:

Ὑπέρβολος δ' οὐκ τῶν λύχνων πλεῖν ἢ τάλαντα πολλὰ
εἴληφε διὰ πονηρίαν . . . . .
οἴσπερ μέγα φρονεῖ μᾶλλον ἢ Πηλεὺς ἐπὶ τῇ μαχαίρᾳ.

Scholiastes Theocriti, Idyll. V. v. 118., ὅπερ δηλοῖ, inquit, τὸ ἐκάθηρεν, ἀντὶ τοῦ ἔτυπτε καὶ ἐξέδαιρε. καὶ Ἀριστοφάνης, πέδει τὰς πλευρὰς καὶ ἐκάθηρεν. Afferuntur haec cum vitiis suis ab H. Stephano in Thesauro, Vol. II. p. 2.. Visne scire, quomodo corrigenda sint? ita nempe: Ἀριστοφάνης, ἐσπόδει τὰ πλευρὰ κἀκάθαιρεν: quae legebantur prius loco illorum in versu 1379.,

κἀσπόδει, κἄπνιγε, κἀπέτριβεν.

Fortassis idem Scholiastes ex illo fonte scripturae diversitatem hausit in versu 1008., τῆμος χαίρων, ὁπόταν πλάτανος ψιθυρίζῃ.

Ceterum duas, quantum scio, correctiones ex MS. libro antea non cognitas, nec sine eiusmodi testimonio ultro faciendas, exprompsi in v. 151. Περσικά pro Περσικαί et v. 197. περιτύχῃ pro ἐπιτύχῃ ex MS. Dorvilliano, quo ad Plutum est usus Hemsterhusius, ego excerptis ex eo nonnullis ad Nubes utor. Hoc enim περιτυγχάνειν egregie cadit in summum magistri imperium atque obedientiam discipulorum: ἐπιτυγχάνειν, obviam fieri, convenientius esset obambulanti Socrati, quam ei, qui sua sponte ad inspectandum de corbe pensili descendisset. Prius autem illud eo cupi-

dius amplexus sum, quo levius in eodem se Brunckius gessit in Lysistrata, vv. 229. et 230.,

οὐ πρὸς τὸν ὄροφον ἀνατενῶ τὰ Περσικά.

Non enim vidit dualem esse *τὰ Περσικά:* quare idem molitus est in hoc loco, quod pridem in Nubibus acciderat, ut pluralis immitteretur in dualis locum. Is autem numerus eo iam exquisitior, quod et *τὼ πόδε* antecessit, et in re geometrica maiorem consequitur loquendi diligentiam. Alias profeci nonnihil ex veterum quorundam, de Aristophane aliquid afferentium, memoria. Ne longius discedam, insigni plane exemplo ipsum exordium est. *Ὅσον* interpungendo seiungi ab *ἀπέραντον* voluit Ernestus: fecit id ipsum iam olim Cheradamus in exemplari Gormontii: dissensit Hermannus: probavit Wolfius, et alios credo alia ac diversa sentire. In promptu est ad interpunctionem profligandam ex Ranis, v. 1278.,

ὦ Ζεῦ βασιλεῦ, τὸ χρῆμα τῶν κόπων ὅσον.

Sed accedit etiam Themistii iudicium in Paraphrasi in Aristotel. libr. IV. p. 45. Ald., *διὰ τοῦτο καὶ οἱ νοσοῦντες μείζους ὑπολαμβάνουσι τὰς ἡμέρας, καὶ φροντίζοντες ἀναβοῶσιν· ὦ Ζεῦ βασιλεῦ, τὸ χρῆμα τῶν νυκτῶν ὅσον.* Eodem modo separata traduntur ab Polybio Sardiano in libro *περὶ ἀκυρολογίας* et in Philemonis Lexico Technol. p. 123. Burn., teste R. W. in Mus. Crit. Cantabr. Vol. II. p. 200. A. 1813. Itaque rem nunc confectam puto: nam fuit etiam, qui vulgatam ratio-

nem, ὅσον ἀπέραντον defendere conaretur loquutione, οὐράνιον ὅσον, θαυμαστὸν ὅσον. Critica ars tam leviter factitata quid prodest? Sed audent multi annotatiunculas suas subitas effutire: quorum in dies singulos crescit copia. Ita factum est, ut etiam nuperrime viderem quendam in Nubibus v. 323. audacter correctionem iubere, ἤδη νῦν καὶ μόλις ἑώρων: quam ego uno verbo reieceram in Coniectt. p. 158. lin. 7.. At quam multa isto uno enuntiato profunduntur demonstratu difficillima. Probandum erat enim, primum ἤδη νῦν pro νῦν ἤδη esse Graece dictum, quod non temere negavi: deinde in ἑώρων posse synizesin fieri: quod non perinde licet atque in θεῶν: tertium erat, ut ipsa vis imperfecti explicaretur, cui nullus hic, ἤδη et νῦν coniunctis, locus est: quartum denique, ut ostenderetur, conciliatis inter sese MSS., partim μόλις ὁρῶ, partim μόλις ἀθρῶ ferentibus, Ravennate etiam μόλις αὐτάς, hanc coniecturam maxime probabilem emergere, μόλις ἑώρων. Sed tempus conteras ea refellendo, in quibus ipse nec operam nec tempus consumpsit auctor.

In distinguendis secundum metricas rationes chori carminibus meam a Brunckio, Hermanno, Wolfio dissensionem, uti rei cuiusque natura ferebat, vel annotavi, vel praetermisi. Versum 1323. debere iambicum esse tetrametrum catalecticum,

ἴσως δ' ἴσως βουλήσεται κἄψωνον αὐτὸν εἶναι

non fugit Ahlwardtum: et ego quoque istud coram auditoribus praeceperam, antequam eius ad me epistola erat allata plena humanitatis: igitur nihil est mirandum, nobis etiam de lacuna unius syllabulae explenda in versu strophae 1312. commune iudicium esse: ἀνθ' ὧν πανουργεῖν —. Praeterea saepe miratus sum, versus 275. et 298. tam diu paroemiacos fuisse traditos, quum nihil possit languidius esse ad chori incessum et carminis motum retardandum. Maxime autem enervatur orationis vis in antistropha, v. 298., si verba εὔανδρον γᾶν arctissime cum proximis Κέκροπος ὀψόμεναι πολυήρατον cohaerentia catalexi paroemiaca terminentur. Sed quid obstat, quo minus admirabilem illum ac plane divinum Nubium concentum vernaculo sermone, quantumcunque ratione et arte consequi possumus, imitemur?

Strophe.

Wolken in schwimmendem Zug,
Sichtbar auf! zu dem Licht uns in fliegendem
Luftthau rollend
Ziehn wir von Vater Okeanos rauschendem
Grund aufwärts zu der Berge belaubeten

Ragenden Höhn, wo die
Schimmernden Warten in weiteste Ferne wir
Schaun, Fruchtkeim' und die heilige Säugerinn
Erd' und der göttlichen Ströme Getös und des
Meers tiefrauschende tosende Fluthen, denn
Herrlich ja blickt unermüdet das Auge des Aethers
Leuchtend in Strahlenglanze.
Schütteln wir ab nun von unserm unsterblichen
Bild das Gewittergewölk, zu beschauen mit
Weitspähendem Blicke den Erdkreis.

Gegenstrophe.

Nahn in Gewittererguss
Jungfraun wir zu dem Land, wo die blinkende
Pallas-Stadt voll
Rüstiger Männer zu sehn auf Cekropischer
Lieblicher Flur, wo Scheu das geheimeste
Göttliche wahrt, und das
Mystische Haus zu den heiligen Weihungen
Prangt, und der Himmlischen dort reichspendende
Pracht, hochzinnige Tempel und Bildniss' und
Hehreste Züg' an Altäre der Seligen,

Opfer mit Blumen geschmückt und die festlichsten Mahle
Wechselnder Iahreszeiten.
Kommet der Lenz nun, mit ihm auch die Bromische
Freud' und der Chöre melodisch Entzücken und
Tiefhallende Stimme der Flöten.

In hoc nitore typothetico incredibiliter nos adiuvit exquisita doctissimi Dindorfi cura, qui nunc laudabile Weidmanniorum institutum commentarios in Aristophanem editos colligendi diligentia atque consilio non Beckiano exsequitur, mox aliis laboribus haud vulgaribus in theatro eruditorum spectabitur. Monuisse sufficiat paucula haec: V. 102. excidit Comma post ἀλαζόνας, itemque V. 338. post μεγαλᾶν, et V. 421. Colon post ἀμέλει. V. 344. bis ponendum νυν, alia minuta praetermitto. Scribebam Ienae.

ΑΡΙΣΤΟΦΑΝΟΥΣ ΝΕΦΕΛΑΙ.

ΤΑ ΤΟΥ ΔΡΑΜΑΤΟΣ
ΠΡΟΣΩΠΑ.

ΣΤΡΕΨΙΑΔΗΣ.
ΦΕΙΔΙΠΠΙΔΗΣ.
ΘΕΡΑΠΩΝ ΣΤΡΕΨΙΑΔΟΥ.
ΜΑΘΗΤΑΙ ΣΩΚΡΑΤΟΥΣ.
ΣΩΚΡΑΤΗΣ.
ΧΟΡΟΣ ΝΕΦΕΛΩΝ.
ΔΙΚΑΙΟΣ ΛΟΓΟΣ.
ΑΔΙΚΟΣ ΛΟΓΟΣ.
ΠΑΣΙΑΣ, δανειστής.
ΑΜΥΝΙΑΣ, δανειστής.
ΜΑΡΤΥΣ.
ΧΑΙΡΕΦΩΝ.
ΕΥΡΙΠΙΔΗΣ καὶ

ΑΛΛΟΙ ΜΑΘΗΤΑΙ ΣΩΚΡΑΤΟΥΣ
κωφὰ πρόσωπα.

ΑΡΙΣΤΟΦΑΝΟΥΣ ΝΕΦΕΛΑΙ.

ΣΤΡΕΨΙΑΔΗΣ. ΦΕΙΔΙΠΠΙΔΗΣ. ΘΕΡΑΠΩΝ.

ΣΤΡΕΨΙΑΔΗΣ.

Ἰοὺ ἰού·
ὦ Ζεῦ βασιλεῦ, τὸ χρῆμα τῶν νυκτῶν ὅσον·
ἀπέραντον; οὐδέποθ' ἡμέρα γενήσεται;
καὶ μὴν πάλαι γ' ἀλεκτρυόνος ἤκουσ' ἐγώ·
οἱ δ' οἰκέται ῥέγκουσιν· ἀλλ' οὐκ ἂν πρὸ τοῦ.
ἀπόλοιο δῆτ' ὦ πόλεμε, πολλῶν οὕνεκα,
ὅτ' οὐδὲ κολάσαι ἔξεστί μοι τοὺς οἰκέτας.
ἀλλ' οὐδ' ὁ χρηστὸς οὑτοσὶ νεανίας
ἐγείρεται τῆς νυκτός, ἀλλὰ πέρδεται
ἐν πέντε σισύραις ἐγκεκορδυλημένος. —
ἀλλ' εἰ δοκεῖ, ῥέγκωμεν ἐγκεκαλυμμένοι. —
ἀλλ' οὐ δύναμαι δείλαιος εὕδειν δακνόμενος,
ὑπὸ τῆς δαπάνης καὶ τῆς φάτνης καὶ τῶν χρεῶν,
διὰ τουτονὶ τὸν υἱόν. ὁ δὲ κόμην ἔχων,
ἱππάζεταί τε καὶ ξυνωρικεύεται,
ὀνειροπολεῖ θ' ἵππους· ἐγὼ δ' ἀπόλλυμαι,
ὁρῶν ἄγουσαν τὴν σελήνην εἰκάδας·

Inscripsit W. ΑΙ ΝΕΦΕΛΑΙ.

1. Br. H. W. interp. ἰού, ἰού. 2. 3. Br. H. interp. ὅσον Ἀπέραντον.: W. ὅσον! Ἀπέραντον., 6. W. interp. οὕνεκα·. 7. Br. ὅτι οὐδὲ κολάσαι ἔξεστί: H. ὅτε δ' οὐδὲ cetera cum Br.: W. ὅτ' οὐδὲ κολάσ'. 8. Br. H. W. interp. εὕδειν, δακνόμενος.

οἱ γὰρ τόκοι χωροῦσιν. — ἅπτε παῖ λύχνον,
κἄκφερε τὸ γραμματεῖον, ἵν' ἀναγνῶ λαβὼν
ὁπόσοις ὀφείλω, καὶ λογίσωμαι τοὺς τόκους. —
φέρ' ἴδω, τί ὀφείλω; — δώδεκα μνᾶς Πασίᾳ. —
τοῦ δώδεκα μνᾶς Πασίᾳ; τί ἐχρησάμην; —
ὅτ' ἐπριάμην τὸν κοππατίαν. οἴμοι τάλας·
εἴθ' ἐξεκόπην πρότερον τὸν ὀφθαλμὸν λίθῳ.

ΦΕΙΔΙΠΠΙΔΗΣ.

Φίλων, ἀδικεῖς· ἔλαυνε τὸν σαυτοῦ δρόμον.

ΣΤΡΕΨΙΑΔΗΣ.

τοῦτ' ἔστι τοῦτο τὸ κακόν, ὅ μ' ἀπολώλεκεν·
ὀνειροπολεῖ γὰρ καὶ καθεύδων ἱππικήν.

ΦΕΙΔΙΠΠΙΔΗΣ.

πόσους δρόμους ἐλᾷ τὰ πολεμιστήρια;

ΣΤΡΕΨΙΑΔΗΣ.

ἐμὲ μὲν σὺ πολλοὺς τὸν πατέρ' ἐλαύνεις δρόμους. —
ἀτὰρ τί χρέος ἔβα με μετὰ τὸν Πασίαν;
τρεῖς μναῖ διφρίσκου, καὶ τροχοῖν Ἀμυνίᾳ.

ΦΕΙΔΙΠΠΙΔΗΣ.

ἄπαγε τὸν ἵππον ἐξαλίσας οἴκαδε.

ΣΤΡΕΨΙΑΔΗΣ.

ἀλλ' ὦ μέλ', ἐξήλικας ἐμέ γ' ἐκ τῶν ἐμῶν,
ὅτε καὶ δίκας ὦφληκα, χἄτεροι τόκου
ἐνεχυράσασθαί φασιν.

ΦΕΙΔΙΠΠΙΔΗΣ.

ἐτεὸν ὦ πάτερ,
τί δυσκολαίνεις καὶ στρέφει τὴν νύχθ' ὅλην;

ΣΤΡΕΨΙΑΔΗΣ.

δάκνει με δήμαρχός τις ἐκ τῶν στρωμάτων.

---

24. H. ἐξεκόπη. 35. Br. H. W. ἐνεχυράσεσθαι.

ΦΕΙΔΙΠΠΙΔΗΣ.

ἔασον ὦ δαιμόνιε καταδαρθεῖν τί με.

ΣΤΡΕΨΙΑΔΗΣ.

σὺ δ' οὖν κάθευδε· τὰ δὲ χρέα ταῦτ', ἴσθ' ὅτι,
ἐς τὴν κεφαλὴν ἅπαντα τὴν σὴν τρέψεται. —
φεῦ.
εἴθ' ὤφελ' ἡ προμνήστρι' ἀπολέσθαι κακῶς,
ἥτις με γῆμ' ἐπῆρε τὴν σὴν μητέρα·
ἐμοὶ γὰρ ἦν ἄγροικος ἥδιστος βίος,
εὐρωτιῶν, ἀκόρητος, εἰκῆ κείμενος,
βρύων μελίτταις καὶ προβάτοις καὶ στεμφύλοις.
ἔπειτ' ἔγημα Μεγακλέους, τοῦ Μεγακλέους,
ἀδελφιδῆν, ἄγροικος ὤν, ἐξ ἄστεος,
σεμνήν, τρυφῶσαν, ἐγκεκοισυρωμένην.
ταύτην ὅτ' ἐγάμουν, συγκατεκλινόμην ἐγώ,
ὄζων τρυγός, τρασιᾶς, ἐρίων περιουσίας·
ἡ δ' αὖ μύρου, κρόκου, καταγλωττισμάτων,
δαπάνης, λαφυγμοῦ, Κωλιάδος, Γενετυλλίδος.
οὐ μὴν ἐρῶ γ' ὡς ἀργὸς ἦν, ἀλλ' ἐσπάθα.
ἐγὼ δ' ἂν αὐτῇ θοἰμάτιον δεικνὺς τοδὶ
πρόφασιν ἔφασκον· ὦ γύναι, λίαν σπαθᾷς.

ΘΕΡΑΠΩΝ.

ἔλαιον ἡμῖν οὐκ ἔνεστ' ἐν τῷ λύχνῳ.

ΣΤΡΕΨΙΑΔΗΣ.

οἴμοι· τί γάρ μοι τὸν πότην ἧπτες λύχνον;
δεῦρ' ἔλθ', ἵνα κλάῃς.

ΘΕΡΑΠΩΝ.

διὰ τί δῆτα κλαύσομαι;

ΣΤΡΕΨΙΑΔΗΣ.

ὅτι τῶν παχειῶν ἐνετίθεις θρυαλλίδων. —

---

39. Br. σὺ μὲν οὖν. Br. H. interp. ταῦτ' ἴσθ' ὅτι. 40. Br. H. W. εἰς. 49. Br. H. W. ξυγ—. 50. W. interp. ἐρίων, περιουσίας. 58. H. W. δεῦρ' ἴθ'.

μετὰ ταῦθ', ὅπως νῷν ἐγένεθ' υἱὸς, οὑτοσὶ,
ἐμοί τε δὴ καὶ τῇ γυναικὶ τἀγαθῇ,
περὶ τοῦ 'νόματος δὴ 'νταῦθ' ἐλοιδορούμεθα·
ἡ μὲν γὰρ ἵππον προςετίθει πρὸς τοὔνομα,
Ξάνθιππον, ἢ Χάριππον, ἢ Καλλιππίδην·
ἐγὼ δὲ τοῦ πάππου 'τιθέμην Φειδωνίδην.
τέως μὲν οὖν ἐκρινόμεθ'· εἶτα τῷ χρόνῳ
κοινῇ ξυνέβημεν, κἀθέμεθα Φειδιππίδην.
τοῦτον τὸν υἱὸν λαμβάνουσ' ἐκορίζετο·
ὅταν σὺ μέγας ὢν ἅρμ' ἐλαύνῃς πρὸς πόλιν,
ὥςπερ Μεγακλέης, ξυστίδ' ἔχων ... ἐγὼ δ' ἔφην·
ὅταν μὲν οὖν τὰς αἶγας ἐκ τοῦ Φελλέως,
ὥςπερ ὁ πατήρ σου, διφθέραν ἐνημμένος ...
ἀλλ' οὐκ ἐπείθετο τοῖς ἐμοῖς οὐδὲν λόγοις,
ἀλλ' ἵππερον κατέχεέ μου τῶν χρημάτων.
νῦν οὖν ὅλην τὴν νύκτα φροντίζων, ὁδοῦ
μίαν εὗρον ἀτραπὸν δαιμονίως ὑπερφυᾶ,
ἣν ἢν ἀναπείσω τουτονὶ, σωθήσομαι.
ἀλλ' ἐξεγεῖραι πρῶτον αὐτὸν βούλομαι. —
πῶς δῆτ' ἂν ἥδιστ' αὐτὸν ἐπεγείραιμι; πῶς;
Φειδιππίδη, Φειδιππίδιον.

ΦΕΙΔΙΠΠΙΔΗΣ.

τί, ὦ πάτερ;

ΣΤΡΕΨΙΑΔΗΣ.

κύσον με, καὶ τὴν χεῖρα δὸς τὴν δεξιάν.

ΦΕΙΔΙΠΠΙΔΗΣ.

ἰδού. τί ἐστιν;

ΣΤΡΕΨΙΑΔΗΣ.

εἰπέ μοι, φιλεῖς ἐμέ;

---

60. Br. H. interp. υἱὸς οὑτοσί. 61. Br. H. W. τῇ 'γαθῇ. 62. Br. H. W. τοὐνόματος. Br. W. δὴ ταῦτ': H. δὴ 'ντεῦθεν. 73. Br. H. ἐπίθετο. — 74. Br. H. W. ἵππερόν μου κατέχεεν. 75. H. interp. φροντίζων ὁδοῦ,

ΦΕΙΔΙΠΠΙΔΗΣ.

νὴ τὸν Ποσειδῶ τουτονὶ τὸν Ἵππιον.

ΣΤΡΕΨΙΑΔΗΣ.

μή μοί γε τοῦτον μηδαμῶς τὸν Ἵππιον.
οὗτος γὰρ ὁ θεὸς αἴτιός μοι τῶν κακῶν.
ἀλλ' εἴπερ ἐκ τῆς καρδίας μ' ὄντως φιλεῖς,
ὦ παῖ, πιθοῦ τί μοι.

ΦΕΙΔΙΠΠΙΔΗΣ.

τί πίθωμαι δῆτά σοι;

ΣΤΡΕΨΙΑΔΗΣ.

ἔκστρεψον ὡς τάχιστα τοὺς σαυτοῦ τρόπους,
καὶ μάνθαν' ἐλθὼν ἂν ἐγὼ παραινέσω.

ΦΕΙΔΙΠΠΙΔΗΣ.

λέγε δή, τί κελεύεις;

ΣΤΡΕΨΙΑΔΗΣ.

καί τι πείσει;

ΦΕΙΔΙΠΠΙΔΗΣ.

πείσομαι,
νὴ τὸν Διόνυσον.

ΣΤΡΕΨΙΑΔΗΣ.

δεῦρό νυν ἀπόβλεπε.
ὁρᾷς τὸ θύριον τοῦτο καὶ τῳκίδιον;

ΦΕΙΔΙΠΠΙΔΗΣ.

ὁρῶ. τί οὖν τοῦτ' ἔστιν ἐτεὸν ὦ πάτερ;

ΣΤΡΕΨΙΑΔΗΣ.

ψυχῶν σοφῶν τοῦτ' ἔστι φροντιστήριον.
ἐνταῦθ' ἐνοικοῦσ' ἄνδρες, οἳ τὸν οὐρανὸν
λέγοντες ἀναπείθουσιν ὡς ἔστιν πνιγεύς,

---

87. Br. H. W. πιθοῦ. — τί W. δεῦρό νύν γ' οὖν πίθωμαι —. 91. Br. H.

κἄστιν περὶ ἡμᾶς οὗτος, ἡμεῖς δ' ἄνθρακες.
οὗτοι διδάσκουσ', ἀργύριον ἤν τις διδῷ,
λέγοντα νικᾶν καὶ δίκαια κἄδικα.

ΦΕΙΔΙΠΠΙΔΗΣ.

εἰσὶν δὲ τίνες;

ΣΤΡΕΨΙΑΔΗΣ.

οὐκ οἶδ' ἀκριβῶς τοὔνομα·
μεριμνοφροντισταί, καλοί τε κἀγαθοί.

ΦΕΙΔΙΠΠΙΔΗΣ.

αἰβοῖ, πόνηροί γ', οἶδα, τοὺς ἀλαζόνας
τοὺς ὠχριῶντας, τοὺς ἀνυποδήτους λέγεις·
ὧν ὁ κακοδαίμων Σωκράτης καὶ Χαιρεφῶν.

ΣΤΡΕΨΙΑΔΗΣ.

ἤ, ἤ, σιώπα· μηδὲν εἴπῃς νήπιον.
ἀλλ' εἴ τι κήδει τῶν πατρῴων ἀλφίτων,
τούτων γενοῦ μοι, σχασάμενος τὴν ἱππικήν.

ΦΕΙΔΙΠΠΙΔΗΣ.

οὐκ ἂν μὰ τὸν Διόνυσον, εἰ δοίης γέ μοι
τοὺς φασιανούς, οὓς τρέφει Λεωγόρας.

ΣΤΡΕΨΙΑΔΗΣ.

ἴθ', ἀντιβολῶ σ', ὦ φίλτατ' ἀνθρώπων, ἐμοὶ
ἐλθὼν διδάσκου.

ΦΕΙΔΙΠΠΙΔΗΣ.

καὶ τί σοὶ μαθήσομαι;

ΣΤΡΕΨΙΑΔΗΣ.

εἶναι παρ' αὐτοῖς φασιν ἄμφω τὼ λόγω,
τὸν κρείττον', ὅστις ἐστί, καὶ τὸν ἥττονα.
τούτοιν τὸν ἕτερον τοῖν λόγοιν, τὸν ἥττονα,

---

102. Br. H. W. πονηροί γ'. 110. Br. H. W. interp. ὦ φίλ- τατ' ἀνθρώπων ἐμοί,. 111. Br. H. W. τί σοι.

νικᾶν λέγοντά φασι τἀδικώτερα.
ἢν οὖν μάθῃς μοι τὸν ἄδικον τοῦτον λόγον,
ἃ νῦν ὀφείλω διὰ σέ, τούτων τῶν χρεῶν
οὐκ ἂν ἀποδοίην οὐδ᾽ ἂν ὀβολὸν οὐδενί.

ΦΕΙΔΙΠΠΙΔΗΣ.

οὐκ ἂν πιθοίμην. οὐ γὰρ ἂν τλαίην ἰδεῖν
τοὺς ἱππέας τὸ χρῶμα διακεκναισμένος.

ΣΤΡΕΨΙΑΔΗΣ.

quendi normam praeclare exemplis comparandis invenit Elmsleius ad Euripidis Med. p. 119. 120. Nimirum qui affirmat aliquid factum iri ante aliud, eum scire oportet, qui terminus sit temporis, deque eo non potest, quin una iudicium quoddam suum eloquatur. Ergo nequit dicere: *δράσω, πρὶν ἂν ἔλθῃς*, quia de temporis meta non potest ullo modo incertus esse ille: incertus est autem, qui coniunctivo utitur: sed *δράσω, πρὶν ἐλθεῖν σε.* At negare licet, *οὐ δράσω, πρὶν ἂν ἔλθῃς*, quia isto pacto non opus est, terminum, qui sit futurus, ante cognosse, sed post terminum demum agendi consilium capitur.

At quovis alio modo admiscetur aliquid de s u b i e c t i cuiusque animo, quod quale sit intelligas, si reiecta particula c o n d i t i o n a l i in liberam et a particularum vinculo solutam enuntiationem revocaveris. Isto modo, cum *ἢν ἔχῃς* in utramque partem dicatur, ut per rei naturam pariter possit esse atque non esse, *εἰ ἔχεις* spectat ad eius sensum, qui cogitaverit: *ἔχεις*: *εἰ ἔχοις* dicit, qui simpliciter iudicaret, *ἔχοις* (quod quam vim habeat, deinceps dicetur): id est, s i h a b e a s, n a m f i n g o m i h i, t e h a b e r e: *εἰ ἂν ἔχοις*, cum iudicio coniunctum, *ἔχοις ἂν* s i h a b e a s, e t *e s t, c u r h a b e r e t e s t a t u a m: εἰ ἕξεις*, cum iudicio, *ἕξεις:* s i h a b e b i s, *v e r i s i m i l e* e s t e n i m t e h a b e r e. enimvero observanda est apodosis nonnumquam, quae ad negandum iudicium valeat: ut apud Platonem: *εἰ εὑρήσομεν αὐτό, θαυμάζοιμ' ἄν:* id est, s i i n v e n i e m u s, s e d *n o n* e s t v e r i s i m i l e, n o s i n v e n t u r o s. Denique *ἐὰν ἔχοις* ita profertur, ut quis dicere videatur: *ἔχοις* h a b e a s, i t a e n i m m e n t e c o n c i p i a m t a n t i s p e r, s e d c a u s s a e c o g i t a t i o n o n m e a e s t, s e d a l i u s.

Iam vero senties, quemadmodum *εἰ* cum optativo et *ἂν* differat ab *εἰ* cum simplici optativo. Nam primum in illo, quia *ἂν* particula animum ad coniecturam

per caussarum connexa faciendam vocat, ea tantum spectari possunt, in quibus potestas efficiendae rei, non eventus cernitur, id est, vel praesentia, vel futura, nec potest ad praeterita revocari: quae quum iam effecta sint, quid opus est coniectura eiusmodi? Recte igitur dicitur, εἴ τις θάνοι, ἐτάφθη: fingi enim quidque quovis tempore potest, vel factum, vel praesens, vel futurum: praeterita autem vel finguntur, vel eventum habuerunt: ergo vel εἰ θάνοι, vel ἔθανεν. Secus est εἰ ἄν τις θάνοι, aut ἢν θάνῃ: quibus non ἐτάφθη, sed aut θάπτεται aut ταφθήσεται subiungi potest. Hactenus illi loquutioni commune est aliquid cum ἢν et coniunctivo. Sed abhorrent eadem ab sese invicem voluntate atque consilio loquentis (individualitate subiecti): quoniam εἰ ἔχοι ἄν assensionem quandam iudicii significat in alteram partem, ἢν ἔχῃ vero qui dicit, suum quisque sensum cohibet, remque aliorum permittit arbitrio.

Proinde duobus in locis meus animus dissidet ab summi Hermanni sententia annot. ad Vigér. p. 830.. Nam in Xenophontis Cyropaed. libro IV. c. 3. §. 3., κατεμέμφετο καὶ ἑαυτὸν καὶ τοὺς σὺν αὐτῷ, εἰ οἱ ἄλλοι ἂν τοῦτον τὸν χρόνον ἀκμάζειν τε μᾶλλον ἑαυτῶν ἐδόκουν —, αὐτοὶ δ' ἐν ἀργοτέρᾳ χώρᾳ ὑποκαταμένειν., nec aptum est ἂν ad sententiam illic in certa et manifesta conditione rerum, nec adeo librorum fide penitus sustentatur. Quare mihi probatur emendatio a me prodita in Coniectt. p. 219.: praesertim cum πάντες plurimum valeat ad laudis aemulationem incitandam. Deinde in Aeschyli Agamemnone, v. 939., εἰ πάντα δ' ὡς πράσσοιμ' ἄν, εὐθαρσὴς ἐγώ., ἂν particulâ ad hypothesin additâ, parum decore anticipatum est θάρσος. nimia est enim fiducia et Agamemnone indigna, omnia credere prospere eventura. Quamobrem interpungenda illa censeo: εἰ πάντα δ' ὡς πράσσοιμ', ἂν εὐθαρσὴς ἐγώ., perinde atque Reiskius interpungi Andocidis dictionem iubet περὶ

τῆς ἑαυτοῦ καθόδου, p. 77.: εἰ ἀνθρωπίνως περὶ ἐμοῦ γιγνώσκοιτε, ἂν εἴητε ἄνδρες εὐδαιμονέστεροι. Haec enim et talia diligenter ab Heindorfio annotationi mandata ad Platonis Phaedonem, p. 134. 135., de ἂν particula ab initio enuntiationis collocata, non esset ullus, credo, qui in controversiam vocaret, si idem ille rationem eius loqnutionis explanasset. Non enim temere id factum est, sed consulto et opera dedita, ad vim probabilitatis urgendam et voce adeo efferendam, ac multo maiores nervos habet, quam si in posteriore loco ponatur. Quare eadem commodissime ad contrarium corroborandum dicitur a Sophocle in Oedipo Tyranno: τάχ' ἂν ἥδοιο μὲν, — ἂν ἀσχάλλοις δ' ἴσως. Recte item Hemsterhusius ἂν ἐπιτρίψειε coniunxit in Aristophanis Pluto, v. 120., quae verba quasi praeteriens ita compluribus de caussis corrigo:

> ὁ Ζεὺς μὲν οὖν, οἶδ', εἰς τὰ τούτων μῶρ' ἔμ', εἰ πύθοιτ', ἂν ἐπιτρίψειε..

Atque satis etiam illud ipsum in Phaedone nervose dictum, τί οὖν, ἂν φαίη ὁ λόγος, ἔτι ἀπιστεῖς, nec mutari debebat a Britanno quodam in Museo Crit. Cantabrig. Vol. II. p. 260.. Nam quod ad omissum optativum in eo loco, unde proficiscebamur, attinet, idem loquendi genus cum Brunckio probavit Hermannus in Aristophanis Nubibus, v. 1382., ἐν δίκῃ γ' ἄν.. Theocrit. Idyll. XVIII. 25., τᾶν οὐδ' ἄν τις ἄμωμος,: Plat. Protagor. p. 357. A. HSt. ἆρ' ἂν οὐκ ἐπιστήμη; καὶ ἆρ' ἂν οὐ μετρητική τις, —: Xenoph. Anab. V, 4. §. 34., ἔπραττον, ἅπερ ἂν μετ' ἄλλων ὄντες. Ad illa vero paullum digredi eo magis placuit, quo minus perspecta sunt iis, qui ἂν particulae doctrinam non rationis lumine illustrant, sed communium cumulo exemplorum exaggerant. Ad superiora revertamur.

Quod ubi εἰ cum optativo et ἂν in interrogando ponitur, ἐρωτῶ, εἰ ἂν γένοιτο, nihil ab hoc nostra expli-

catio abhorret. Opponat quispiam, ita non posse sententiam adumbrari eius qui loquitur, ἄν γένοιτο. At non enuntiatur ista, sed quaeritur interrogatione duntaxat. Quare cavendum est, ne in Xenoph. Cyropaedia, ἐρωτᾷς, — εἴ τις ἂν ἀπὸ σοῦ πόρος προςγένοιτο, credas εἴ τις ἄρ' ἀπὸ σοῦ — scribendum esse, ut visum est doctissimo Thierschio in Gr. Hom. p. 509., non memori Homeri sui in Odyss. XIV. 120.. Ceterum egregie quadrant ad nostrum praeceptum exempla apud Schaeferum in Meletematis, Heindorfium ad Plat. Protagoram, Hermannum ad Viger. p. c., et quae Dissenus tria Hermanni quibusdam addidit in Disquisitt. p. 24.. Cfr. v. 1670. in Sophocl. Oed. Col.. Igitur quod Xenophontis Cyropaed. dictum est, θαυμάζοιμ' ἄν, εἴ τι πλέον ἂν ὠφελήσειε, in hanc sententiam valet: οὐκ ἂν πλέον ἂν ὠφελήσειε. Quam concinne vero, quam dilucide illud dictum est ab Homero, Iliad. Ψ. 592., εἰ καί νύ κεν οἴκοθεν ἄλλο Μεῖζον ἐπαιτήσειας, ἄφαρ κέ τοι αὐτίκα δοῦναι Βουλοίμην: Odyss. M. 345., εἰ δέ κεν εἰς Ἰθάκην ἀφικοίμεθα πατρίδα γαῖαν, Αἶψά κεν — τεύξομεν: nolim ἀφικώμεθα. Vehementer autem reprehendendum Porsonem censeo, qui in Phoeniss. v. 736. soloecum pronuntiavit, quod non solum optime linguae legibus convenit, sed etiam significantius ad loquentis animum est dictum, quam simplex optativus. εἰ νυκτὸς αὐτοῖς προςβάλοιμ' ἂν ἐκ λόχου significat insidias cum spe prosperi eventus strui. Ita est in Eurip. Helena, εἴ πως ἂν ἀναπείσαιμεν ἱκετεύοντέ νιν.. Sed mirabiliter accidit, ut, quum de Porsonis errato fere ad Hermanni iudicium accederemus, ratione tamen explicandi prorsus contraria uteremur. Ille enim addito ἄν magis incertam reddi sententiam, contra ego magis certam fieri hypothesin contendo. Adeo adversa fuit Critica Porsoni, utrovis modo ut circumveniretur. De εἰ ἂν dicetur aliquid item postea.

Redeo unde exorsus sum. Dictum est enim, pro-

nomina relativa, ubi hypothetica vi ponerentur, modorum potestatem suam construendique rationem ad similitudinem particularum hypotheticarum dirigere. Igitur ut εἰ θάνοι, sic ὃς (ὅστις) θάνοι, ut ἢν (ἐὰν) θάνῃ, sic ὃς ἂν θάνῃ, atque etiam ὃς θάνῃ perinde ut εἰ θάνῃ: ut εἰ θανεῖται, sic ὃς θανεῖται: denique ut εἰ ἂν θάνοι, sic plane ὅστις ἂν θάνοι: quod aut obliqua oratione dicitur ut, si forte, in Euripidis Heraclidis, v. 191., ἢ τὸν Ἑλλήνων ὅρον φεύγειν δικαιοῦτ', ὅστις ἂν τἄργος φύγοι; et illis modis, quos praeterea descripsi supra, p. 103., quemadmodum ἐάν cum optativo, aut sententiam loquentis subiectam habet, ἂν θάνοι.

In hoc genere ut mentem ab errore arceas, diligenter distinguenda sunt relativa hypothetica ab iis, quibus aliquid iam positum describitur. quae etsi cetera bene inter se divisit Matthias, p. 758., tamen non debebat alteri admiscere generi vitiose dicta in Platonis Phaedone, μέγα ἂν βοῴης, ὅτι οὐκ οἶσθα ἄλλως πως ἕκαστον γιγνόμενον, ἢ μετασχὸν τῆς ἰδίας οὐσίας ἑκάστου, οὗ ἂν μετάσχοι. In his relativum hypothetica vi dictum iure coniunctivum ascivit ex MSS. apud Heindorfium, p. 195.. Alterum autem genus, quo aliquid propositum, quale sit, exponitur, licet videre in Homeri versu, ἵπποι δ' οὐ παρέασι καὶ ἅρματα, τῶν κ' ἐπιβαίην, in Sophoclis Oedipo Col., ὅρα κατ' Ἄργος εἴ τις ὑμιν ἐγγενὴς Ἔσθ', ὅστις ἂν σου τοῦτο προσχρῄζοι τυχεῖν: et aliis locis, omissa particula, postea aliquanto, veluti, τίς ποτ' ἐστίν, ὅν γ' ἐγὼ ψέξαιμί τι;. Sed in his nunc minime haeremus: illud quaerimus, quomodo hypothetica relativa cum optativo vel simplici, vel ἂν comitante, struantur. Nempe perinde atque in εἰ ostendimus.

Νήπιος, ὃς πατέρα κτείνας, παῖδας καταλείποι cur Schaeferus in vitii crimen vocaverit Melett. Critt. p. 123., non perspicio. Immo optativus proverbio convenientior, quam indicativus. Sophocles Antigona,

v. 666., ἀλλ' ὃν πόλις στήσειε τοῦδε χρὴ κλύειν. In pervagato dicto,

ἔρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην

apud Aristophanem in Vespis, v. 1431., quod latine aut verterunt veteres,

quam quisque norit artem, in hac se exerceat,

aut variis exornarunt modis, male Brunckius ἄν infersit: quo inepte iudicium fieret, scire quemque artem aliquam. Neque minus inepte ἄν fertur in Xenophontis Anabasi, libro I. Cap. III. §. 17., φοβοίμην δ' ἂν τῷ ἡγεμόνι, ᾧ ἂν δοίη, ἕπεσθαι: idque funditus delendum, ut sit in modum antecedentium dictum, ἐγὼ γὰρ ὀκνοίην μὲν ἂν εἰς τὰ πλοῖα ἐμβαίνειν, ἃ ἡμῖν δοίη. Pari ratione Valckenarius depravavit Euripid. Phoeniss. v. 960. in annotatione. In Homeri Odyss. Λ. 149., sicut ὅντινα μέν κεν ἐᾷς praecessit, ita ᾧ δέ κ' ἐπιφθονέῃς, non ἐπιφθονέοις, subiungi debet. Maxima vero cum elegantia idem Xenophon in Cyropaedia, libro I. Cap. VI. §. 22., ὀλίγῳ ὕστερον, ὅπου ἂν πεῖραν δοίης, ἐξεληλεγμένος τ' ἂν εἴης, καὶ προςέτι ἀλαζὼν φαίνοιο: ostendit enim simul sententiam suam, facile ostentatores in fraude deprehendi, aeque ac si diceret, ὅπου πεῖραν δώσεις. Quamobrem condemno librum Altorf., in quo abesse ἄν traditur. Poterat item εἰ πεῖραν ἂν δοίης dici. In Euripidis Heraclidis, v. 978., Alcmena πρὸς ταῦτα τὴν θρασεῖαν, ὅςτις ἂν θέλοι, καὶ τὴν φρονοῦσαν μεῖζον ἢ γυναῖκα χρή, λέξει, inquit, aptissime ad alterius criminationem, πολλήν ἄρ' ἕξεις μέμψιν —. Quid? quod si ὅςτις ἂν θέλῃ dixisset, non λέξει sed λεξάτω debuisset dicere.

Vtrique tamen generi id est commune, quod ἄν cum optativo nequit poni ubi praeteritum spectatur tempus, sed aut praesens tempus aut futurum intelligatur, necesse est, eam ob caussam, quam supra explicavimus p. 107. Ergo nec οἵτινες ἂν θάνοιεν, ἐπά-

φθῆσαν dici potest de mortuis, qui sepulti sunt: neque Plato in Symposio, Cap. XV., verbis, οὔτε γάρ, ὅπως ἀποκτείναιεν, εἶχον, potuit aut voluit ἄν interserere, quamvis rectissime dictum sit paullo post, δοκῶ μοι ἔχειν μηχανήν, ὡς ἂν εἶέν τε ἄνθρωποι, καὶ παύσαιντο —. Quamobrem in Xenophontis Cyropaedia, libro VIII. Cap. III. §. 38., ὅ,τι γὰρ ἂν λάβοι σπέρμα, καλῶς καὶ δικαίως ἀπεδίδου αὐτό, vitium inest, et facile quidem corrigendum, modo ἀναλάβοι scribas. Ad Homeri Odyss. libr. XX. v. 314., ἀλλὰ καὶ ἄλλους Παύεσκον μνηστῆρας, ὅτις τοιαῦτά γε ῥέζοι Schaeferus in Meletematis, p. 123.: hic optativus, inquit, cum ab imperfecto praegresso παύεσκον pendeat, et loco suo ponitur, nec particulam ἄν s. κεν admittit. σοφώτατα καὶ σαφέστατα.

Eadem ratio nimirum de coniunctivo valet. Adeo a vero aberravit Henr. Bremius in Symbolarum Philoll. Helvett. Vol. I. p. 178., quod in Xenophontis Hierone, Cap. VII. §. 11., πῶς — οὐκ ἀπαλλάττει οὕτω μεγάλου κακοῦ οὔτε σύ, οὔτε ἄλλος μὲν δὴ οὐδεὶς πώποτε ἑκὼν εἶναι τυραννίδος ἀφεῖτο, ὅςπερ ἂν ἅπαξ κτήσαιτο;, quum via et ordine repudiasset vulgatum, tum longe mendosissimum probavit, ὅςπερ ἂν ἅπαξ κτήσηται. Immo ἄν resecandum illic.

Denique ad illud diligenter animus est attendendus, quoniam per hypotheticum relativum ὅς, ὅς ἄν, cum coniunctivo aliquid revera posse fieri sumitur, sanae rationi repugnare, si quis eandem rem et posse revera fieri statuat et neget una. Itaque ob bonam logicam nequit dici, οὐκ ἔστιν ὅς ἄν (ὅςτις ἄν, ὅπως ἄν etc.) ἔχηται. Nollem Thierschius diversa genera confudisset in Grammat. Gr. Homer. p. 541. Prorsus enim ceteris dissimile est illud Achillis in Iliad. Φ. 104.,

νῦν δ' οὐκ ἔσθ' ὅςτις θάνατον φύγῃ —,

quanquam rectissime huius vim coniunctivi exposuit: ietzt ist keiner, der dem Tode entfliehen

soll. At in his relativum non est hypotheticum, sed describit eum, qualem esse non vult atrox. Deinde videndum est, ne quis construendo peccet in Homeri Odyssea, Z. 201. 202.,

οὐκ ἔσθ' οὗτος ἀνὴρ διερὸς βροτός, οὐδὲ γένηται,
ὅς κεν Φαιήκων ἀνδρῶν ἐς γαῖαν ἵκηται.

Etenim sic verba cohaerent inter sese: ὅς κεν — ἵκηται, οὗτος οὐκ ἔστι διερός: non omnino negatur, quemquam in Phaeacum terram pervenire: sed quisquis eam attingat, non esse hostem illum.

Postremo licebit profiteri, quid de Platonis dictis sentiam in Phaedone, οὔτε τις ξένος ἀφῖκται, χρόνου συχνοῦ ἐκεῖθεν, ὅστις ἂν ἡμῖν σαφές τι ἀγγεῖλαι οἷός τ' ἦ περὶ τούτων, πλήν γε δή, ὅτι φάρμακον πιὼν ἀποθάνοι: τῶν δὲ ἄλλων οὐδὲν εἶχε φράζειν: quae verba eo maiore cura digna sunt, quo vehementius a Wolfii sententia in libello Scholarum Platonicarum p. 8. 9. discrepat Hermanni iudicium Heindorfio patrocinantis in Praefatione ad Eurip. Supplices, p. XIII. Recte quidem Wolfium censeo pro coniunctivo ὅστις ἂν — οἷός τ' ᾖ pugnasse, sed argumentorum acie non instructa satis. Vnde fieri facile potuit, ut Thierschius in Grammat. Hom. p. 541. Heindorfio assentiret, inauspicato viam praeeunte Disseno in Disquisitt. Philoll. p. 7. 8. Sed ancipitia fere et infirma sunt illa, mag, moechte, waere, wuerde, ac nihil expediunt in iis rebus, quae dialecticis rationibus sunt distinguendae. Vtrumque vis autem et ὅστις ἂν οἷός τ' ᾖ et ὅστις ἂν οἷός τ' εἴη sine ulla offensione dici potuit: quanquam alterum in hoc loco non exstat. Eo tantum differunt, quod posteriori generi etiam iudicium quoddam de narrandi facultate peregrini cuiuspiam inest. Potuit etiam ὅστις ἂν — ἦν poni: sed minus eleganter propter antegressum tempus Perfectum, ἀφῖκται. Quodsi ἀφίκετο legeretur, hoc unice esset probandum et utrumque illorum reprobandum.

Igitur non congruit prorsus Aristophanis dictum οὐκ εἶδον οὐδ' ὄλισβον —, ὃς ἦν ἂν — ἐπικουρία.

Sed cavendum est maximo opere, ne quis hypotheticorum rationem in ἄν particula optativo iungenda ad finales enuntiationes transferat: neve putet quicquam interesse inter ὡς ἂν ἀφείην et ὡς ἀφείην, aut quemadmodum ἔρχομαι, ὡς ἂν ἀφῶ pure dicitur, ita etiam ἔρχομαι, ὡς ἂν ἀφείην de praesente consilio recte se habere arbitretur. Nam illud omnino est proprium finalium enuntiationum, ut, si tanquam a praesente subiecto cogitatae proferantur, eiusdem iudicium contineant necessario, quoquo modo dicas, si modo cum ratione dicatur: quia ad finem quisque suum eam ingreditur viam, qua se consequuturum sperat, et quum sententiae caussarum et effectuum communione teneantur, qui de caussis iudicat, idem, quid effectum iri putet, expromit. Quare has separatim tractavimus ad Sophoclis Oedipum Col. v. 11..

Non est autem praetermittendum loquendi genus illud, quum sensa vel dicta per ὅτι referuntur et optativum. Magni enim interest nonnunquam, utrum ἄν adiungas an negligas. Luculento huius rei exemplo utimur Sophoclis in Oedipo Col. vv. 940. 941., ubi ne intelligi quidem posset ullo modo optativus particula nostra privatus vulgo:

ᾔδη δ' ὅθ' οὕνεκ' ἄνδρα καὶ πατροκτόνον
κἄναγνον οὐ δεξαίατ',:

Poterat ᾠήθην ὅτι — οὐ (vel μή) δεξαίατο ordine atque ratione dici: sed illud ne in cogitationem quidem cadit, ut scientia a rei contemplatione secernatur et in subiectiva cogitatione unice nitatur. Quare illa correxi: δέξαιτ' ἄν: scilicet πόλις: in modum superiorum verborum, γιγνώσκων ὅτι οὐδεὶς — ἂν ἐμπέσοι ζῆλος —. Verum alias saepe id parum refert ad summam sententiae. Itaque in Xenophontis Anabasi, libro II. Cap. III. §. 19., ᾐτούμην βασιλέα, λέγων αὐτῷ ὅτι δικαίως ἄν

μοι χαρίζοιτο, licuit omittere ἂν aeque atque in Historiae Gr. libro III. Cap. II. §. 23., ἀποκριναμένων δὲ τῶν Ἠλείων, ὅτι οὐ ποιήσειαν ταῦτα: quanquam Schaeferus his voluit ἂν interserere in Melett. Critt. p. 102., eo consilio, credo, ut futuri temporis intellectum afferret. In Memorabilium libro I. Cap. I. §. 6., περὶ δὲ τῶν ἀδήλων, ὅπως ἂν ἀποβήσοιτο, μαντευσομένους ἔπεμπεν, dissident exemplaria inter sese. Atque ut etiam μή et μὴ ἂν cum verbis metuendi perstringam, δέδοικα, μὴ λέγοις est simpliciter optantis, μὴ λέγοις: sed δέδοικα μὴ ἂν λέγοις, ut est in Trachiniis apud Sophoclem, v. 631., sententiam simul continet λέγοις ἄν. Itaque in his quoque paullum videor differre ab Hermanno ad Aiacem, v. 272..

Praeterea particula ista cum indicativo vel imperfecti vel aoristi iuncta consuetudinem quandam rei identidem factitatae declarari, et pervagatum est, et a nobis in Coniectt. tractatum p. 145. 146.. Etenim sic quoque retinet potestatem suam, ut, quum incerta ad probabilitatem astringat, certa in ambiguitatem relaxet. Nam quae res simplici praeterito tempore uno ac definito gesta dicitur, eam particula ista a temporis stabilitate ad caussarum vicissitudinem traducit: non, ut uno et eodem tempore facta, sed quotiescunque eaedem caussae recurrerent, iterata cogitetur. Sed commemorandus est hoc loco usus loquendi quidam in πως particula, quae ipsa quoque nonnunquam aliquid solere fieri significat; ut in Euripideo illo, αἱ δεύτεραί πως φροντίδες σοφώτεραι: quemadmodum Latini fere usurpant. Sed illud interest inter utrumque, quod πως in modo, quo quidque fit, illud in caussa et ratione cernitur. alterum esse modum quendam, quo aliquid contingat, alterum esse rationem, qua aliquid efficiatur, significat. praeterea, quod post dicetur accuratius, consuetudo pariter atque ratio valuit, ut alterum a praesentis indicativo secerneretur.

Sed superest quoddam ad speciem magnum, revera leve aut mediocre impedimentum nostrae rationis de natura ἄν particulae, in imperativo. Satis enim iam decantatum est illud ἴσθ' ἄν Sophoclis in Oedip. Tyr. v. 1488. Hermanno ad Vigerum commemoratum, Erfurdtiusque idem hoc in v. 327. aliquando de coniectura importaverat. Atqui doctus Grammaticus in Bekkeri Anecdotis, πέντε, inquit, ἐγκλίσεων οὐδὲν μετὰ προςτακτικοῦ ῥήματος οὐ συντάσσεται· οὐδεὶς γὰρ λέγει ἀνάγνωθι ἄν. Neque ego intelligo, quomodo possit imperativi vim suo significatu afficere. Indicativum quidem potest, quo existentia duntaxat, ut philosophi appellant, exprimitur, quanquam ne illum quidem quovis modo: at imperativo necessitas inest, particulae illi possibilitas (bona venia elegantiorum loquar), quae quidem ita sibi contraria sunt, ut alterum necesse sit tollatur ab altero. Non enim potest sic lege, si placet, si commodum est, propterea quod nec ipsa per se unquam enuntiationem conficit, nec ad significatum verbi, sed ad Modum refertur, de quo postea dicetur accuratius. Affert doctissimus Matthias p. 882. ex Platonis Alcib. μηδὲ πολλοῦ ἂν ἡμῖν ἄῤῥητον ἔστω: sed ἄν per corruptelam est ortum ex ἐν: ἐν ἡμῖν scripsit Plato: nam Hom. Odyss. M. 81., ᾗπερ ἂν ὑμεῖς Νῆα παρὰ γλαφυρὴν ἰθύνετε —, ita expedio, ut ἂν — ἰθύνετε (ἰθύνετε pribea coniunctivi forma) cum vi futuri, wo ihr das Schiff vorbey lenken werdet, in speciem argutae adhortationis sit dictum. Atque ita plane sentire vidi Thierschium meum in Gr. Hom. p. 540. De scriptura ἴστων ἄν apud Xenoph. in Anab. I. 4. 8. et eius origine recte iudicavit Schneiderus. Ista tamen commemorari multo facilius possunt, quam ex Aristophanis Acharnensibus, v. 1201. φιλήσατόν με — τὸ περιπεταστὸν κἀμμανδαλωτὸν ἄν, ubi ἄν non modo Ravennas sed etiam Brunckii MSS. nullum habent. cfr. Suidas

Vol. III. p. 92.. Manifestum est autem ibi ex codicum, imprimis Ravennatis scriptura, alienam manum in concinnandis aliquibus acatalecticis versibus iambicis elaborasse, qui MSS., maxime Ravennatis ope, catalexi sua revocata, in antistrophicam formam restituendi sunt:

α. ἐκεῖνο δ' αἰακτὸν ἂν γένοιτο·
β'. Δικαιόπολις γὰρ ἄν μ' ἴδοι τετρωμένον·
κᾆτ' ἐγχανεῖται ταῖς ἐμαῖς τύχαισιν.
μεσῳδός. ἀτταταῖ, ἀτταταῖ,
τῶν τιτθίων· ὡς σκληρὰ καὶ κυδώνια.
β'. φιλήσατόν με μαλθακῶς ὦ χρυσίω,
τὸ περιπεταστὸν κἀπιμανδαλωτόν.
α. τὸν γὰρ χοᾶ πρῶτος ἐκπέπωκα.

Primo in versu a glossatore illatum οἰμωκτόν post αἰακτόν adeo est planum et apertum, ut suus quemque elegantiae sensus in epithetis cumulandis veterum lectione excultus id docere possit. μοι post γένοιτο eodem ex fonte, unde ἄν illud, manasse censeo. relicua omnia ex monumentorum fide duximus.

His iam profligatis, redeo, unde deflexit oratio, ut illud ἴσθ' ἄν, quid sit, exponam. Nimirum ἄν non ad imperativum refertur, sed ad infinitivum animo conceptum, ut, quum Sophoclis verba haec sint: ἔδρασ' ἄν, εὖ τοῦτ' ἴσθ' ἄν, —, ad ἄν subaudiatur δρᾶσαί με: a quo non longe abest Thierschius in Gr. Hom. p. 522..

Quaerendum est etiam, quorsum pertineat ἄν apud Homerum illud coniunctivo additum ad vim futuri temporis declarandam. In eo citius, quam oportuit, Hermanni sententiam in libro de emend. rat. Gr. Gr. p. 207. reiecit Dissenus de Tempp. et Modd. V. Gr. p. 57.: neque is omnino expedivit vetustum Graece loquendi auctorem, sed Romana potius paupertate impeditum maiores in angustias compulit. Proxime enim verum accessit vir sagacissimus, Hermannus, praeterquam quod

optativum suppleret ad particulam, in qua futurum tempus cogitandum arbitror, ut *ἐγὼ δέ κεν αὐτὸς ἕλωμαι* proprie sit: *ἐγὼ δέ κεν αὐτὸς ἔξω, ὅπως ἕλωμαι.* Quaeris, quid ad rei veritatem intersit, utrum optativum suppleas an futurum. Nempe hoc, quod, quum etiam sine *ἄν*, ut in *καί ποτέ τις εἴπῃσι*, ad coniunctivum intelligenda cogitatio sit, ea tamen cogitandi ratio ita ad illam comparata sit oportet, ut validior sit et fortior sententia in accessione particulae, quam in praetermissione eiusdem. Atqui in altera nequit simplex optativus subintelligi, quod quidem mox apparebit: ergo nec in illa is modus ad *ἄν* debebit accedere.

Denique, priusquam ad ea revertor, quorum imprimis caussa haec omnis instituta oratio est, videndum est diligenter, quemadmodum possit in eadem enuntiatione *ἄν* iterari, et quae sit repetitae natura particulae. Exempla huius generis post Hermannum et alios ipsi attulimus multa et varia in Coniectt. p. 187. sq., nec dissensimus ab eo, quod ad Vigerum praecepit, *ἄν* ita demum repeti posse in eodem membro orationis, si alterum ad verbum, alterum ad aliud vocabulum pertineat, quod cum quadam dubitatione dici possit. Quae etsi satis accurate cogitateque videntur dicta esse, tamen discrepat sententia nostra ab illis, quae p. 943. vir summus enuntiavit: tandem vero, ut spero, didicimus, non ad modum verbi, sed ad conformationem sententiae istam particulam pertinere. Nam et conformatio sententiae quaedam in verbi Modo cernitur, neque omnino intelligo, quomodo *ἄν* non possit ad Modum verbi pertinere. Non enim potest ut *ἴσως* seorsim poni, neque notionem ipsam vocabuli cuiusque format aut flectit unquam, ut *πον*, *πως*, sed quatenus potestas sit efficiendi quidque definit. Quod quum Modo Verbi significetur, (modalitas enim Verbo inest)

non potest unquam, ut arbitror, ab eo cogitatione secerni: ita tamen, ut alias notiones valeat ad Verbi Modum attrahere perinde, ut collocaveris. idque pluribus deinceps demonstrabitur.

Quomodo igitur accipiendae sunt istae particulae, in una enuntiatione binae vel sicut in Sophocleis ternae cumulatae, *πῶς ἂν οὐκ ἂν ἐν δίκῃ θάνοιμ᾽ ἄν;*? Utimur vero huius rei maxima similitudine in negatione repetita eiusdem sententiae: veluti, *οὐκ εἶδον οὐδένα οὐδέποτε οὐδαμοῦ.* Ut enim in his negatio continuari nequit, nisi notiones, aliae aliis, ad sententiae perfectionem accedant, sic in illis quoque nova semper accessione ad absolvendam enuntiationem opus est, si eandem modalitatem, (sic enim appellant philosophi) inculcari saepius velis, quae propria est huius particulae. Sic igitur debebunt notiones quaeque, quae ad ἂν referuntur, comparatae esse, ut singulae separatim a relicuis cum Verbi Modo constructae, suam quaeque et propriam efficiant sententiam: veluti Sophoclea illa si solvas, hae inde enuntiationes confici possint: *πῶς ἂν θάνοιμι: οὐκ ἂν θάνοιμι: ἐν δίκῃ θάνοιμ᾽ ἄν.* His in unam coagmentatis, identidem admonemur id ipsum, quomodo singula sint ei potestati subiecta, quae Verbi Modo cum ἂν coniunncto exprimitur. Quod etsi apparet inde, recte censuisse Hermannum de verbis in Platonis Phaedro, §. 138. Heind., *ἐφ᾽ οἷς δὲ ἐσπούδακε τῇ γεωργικῇ ἂν χρώμενος ἂν τέχνῃ*, alterum ineptum ἂν in αὖ mutari oportere, tamen id ita est iccirco, quia ἂν semper ad modum Verbi referatur necesse est; tantumque abest, ut aliorsum trahatur, ut hoc si concessum esset, etiam integra essent illa, quae Hermannus corrupta verissime iudicavit. Nam isto pacto sic possent, credo, verba construi: *ἐφ᾽ οἷς δὲ ἐσπούδακε γεωργικῇ ἂν τέχνῃ, χρώμενος ἄν*, sicuti ipse interpretatur participium in Sophocl. Electra *ἄγγελλε δ᾽ ὅρκῳ, προστι-*

θεὶς, de quo plura commemorabuntur ad Sophoclis Oedip. Col. v. 465.. Deinde γεωργικὸς ἂν εἴη ἂν nego posse dici nisi sic, ut in εἴη vis attributi insit, nec simpliciter pro copula habeatur: quia haec nequit peculiarem sententiam efficere, nisi γεωργικός attributi loco addatur: atqui ἂν non potest bis poni, nisi notiones sint ad duplicem enuntiationem paratae: ergo illud explicari nullo modo potest, nisi εἴη vi attributi praeditum existimetur. Nec vero, ut post οὐ vel πῶς est usitata particula, ita ab καί, etiam, asci sci potest; non enim hoc novam notionem affert, sed intendit priorem tantummodo. Proinde quae Koenius de hoc genere exempla commemoravit, ut ex Platonis Alcib. II. p. 142. D., ἀλλὰ κἂν εὔξαιντο ἂν γενέσθαι, εἴ τῳ μὴ παρόντα τυγχάνει, alterum ἂν ad res illas spectat, quas quis optaverit, alterum ad εὔξαιντο, ut duae una cogitentur sententiae: εὔξαιντο ἄν, et ταῦτα ἂν εὔξαιντο: ubique tamen Verbum assumatur, necesse est, quo uno modalitas potest effici. nempe, nisi syllabis expressum, mente supplendum, veluti in iis, quae notavi p. 108.. Quoniam autem ἂν semper cum Modo Verbi esse coniunctum volumus, recte etiam cum infinitivo participioque sociatur, quia haec ad cuiusvis Modi vim sunt idonea, praeterquam coniunctivi, et quandam quasi declinationem per Modos habent: non enim in formis etymologicis est haerendum.

Itaque nihil est, quo probari possit, ἂν non ad Modum sed ad significationem Verbi pertinere: contra permulta, quibus nostram atque antiquiorum sententiam tueamur. Abs qua quum discederet Hermannus, variis modis eum elusit particula. Hac vero solum ratione intelligitur, cur tantopere inter se differant necessario εἴην θεός et εἴην ἂν θεός, atque etiam, cur integrum non sit, ubi ἂν ad εἰ vel ὅτε accesserit, sic ut ἐάν sit vel ὅταν, utrum coniunctivum addas, an optativum, an indicativum. Id prorsus obscurum esset, si

ad significationem Verbi non ad Modum referretur. etenim ista ratione nihil adeo obstare deberet haec Modo cuicunque particula, quemadmodum nihil obstat που vel πως eisdem particulis aspersum. Atqui immensum quantum interesse vidimus, cui Modo particulam ἂν addas, nec posse cuilibet Modo adiungi. Nam ab imperativo iam supra cohibuimus; cum indicativi futuro potest propter notionem istius temporis congruentem particulae, nec tamen quovis modo: cum praeteriti temporis indicativis, ἔλεγεν ἂν, εἶπεν ἂν, cedo tandem, quid esset, nisi Modum Verbi sed significationem afficeret?

Nectitur autem cum praeteriti temporis indicativis, nempe, imperfecti, plusquamperfecti et aoristi, necessario, quia optativi eius generis non quod praeterito tempore fieri potuisset, sed quod futuro factum esse possit, significant: cum indicativis praesentiam exprimentibus nequit, quia inficetum est deterius eligere nulla necessitate cogente, quum in promptu sit melius.

Atque id adeo ratione praescriptum usus et consuetudo comprobavit. Nam quum ἂν ad copiam efficiendae rei spectet, id et natura sua convenientius est optativo, quo aliquid posse fieri cogitatur, quam indicativo, quo ipsa veritas rei declaratur (quoniam nunquam ad Modum non pertinet) et magnum est in constantia loquendi documentum. Tantum igitur recte praecepit Grammaticus ille, quod ἂν, inquit, ἐνεστῶτι καὶ παρακειμένῳ οὐ συντάσσεται: quoniam perfecto quoque praesentia, et ea quidem absolutae rei, indicatur. Nihilominus recentiores quidam Critici arbitrio suo loquendi scientiam anteverterunt, ac prius, quam regulam consuetudinis cognossent, licentiam in veterum scripta introduxerunt. Posterioris aetatis morem corruptum nihil moror: sed Brunckius depravavit Aristophanis dictionem in Acharnensibus, v. 873.,

Equitt. v. 1131., et cum Nubibus v. 895. Plutum, v. 885.: nam Avium versum 1069. emendavimus in Coniectt. p. 218. cfr. Praefat. p. XXX. ab Toupii corruptela liberatus iam est Sophocles in Oedipo Tyr., repulsus est Fischerus in Platonis Phaedone §. 82. Heind., in Alcibiade *κινδυνεύει γοῦν* dudum restituit ex MSS. Buttmannus, in Xenoph. Hier. c. VIII. §. 6. iam pridem MSS. auctoritate soloecismus contextu exclusus: denique in hymno Homerico in Mercur. v. 224., *οὔτε τί κεν ταύρου λασιαύχενός ἐστιν ὁμοῖα*, diu est quum ex soloecismo factus est Centaurus. Itaque in hanc partem felicior fuit Porsonis veteres audiendi magistros diligentia, quod Appendice ad Toupii Emendatt. effatus est: V o c u l a *ἄν* p r a e s e n t i i n d i c a t i v o n u n q u a m i u n g i t u r, annotationeque ad Phoenissas, v. 412., in Aristophanis loco ex Nubibus eadem de caussa docte Brunckio repugnavit. Fefellit igitur Hermannum opinio de *ἥκει ἄν* ad Aiacem, v. 185., neque potest eum Seidlero *ὁρᾷς ἄν* probari in Euripidis Electra, v. 1116.. Nam de constructióne verborum in loquutione *οὐκ οἶδ' ἂν εἰ* recte iudicavit cum Porsone Elmsleius ad Eurip. Medeam, v. 911.. Per fortassis mirum videatur cuipiam, *οὐκ οἶδ' ἂν εἰ πείσαιμι* ita inter se apta esse, quasi *οὐκ οἶδα εἰ πείσαιμι ἄν* diceretur, eodemque modo Platonis verba adeo, *οὐκ ἂν οἶδα εἰ δυναίμην* esse accipienda. Sed *ἂν* ante *εἰ* poni posse, particulis cum optativo constructis, docemur manifesto Sophoclis exemplo in Oedipo Col. v. 1670., *ὡς μάλιστ' ἂν εἰ πόθῳ λάβοις*, ubi et *εἰ* ab librorum consensu fidem habet, et coniecturae concidunt Canteri, tum ea, quae a Brunckio retenta, *ἐν πόθῳ*, tum *εἰς πόθον*, tacite ab Schaefero recepta. Verborum nexus hic est: *ὡς εἰ μάλιστα ἂν πόθῳ λάβοις*. Constructionem hanc non improbabit Hermannus, quin in eundem modum accepit Aeschyli in Agamemnone, v. 358., *θεοῖς δ' ἂν ἀμπλάκητος εἰ μόλοι στρατός*, ad Vigerum, p. 830.? Itaque in Platonis verbis, *οὐκ ἂν οἶδα εἰ δυναίμην* ita fere sunt coagmentata membra, uti in Aristophanis

Acharnensibus, v. 12., πῶς τοῦτ' ἔσεισέ μου δοκεῖς τὴν καρδίαν sese rem habere censuit Wolfius in libello Scholarum Platon. p. 18.. Valet ad persuadendum Xenophontis dictum in Cyropaedia, libro I. Cap. VI. §. 41., οὐκ οἶδ' ἔγωγε, εἴ τινα λίποις ἂν τῶν πολεμίων. Quamobrem non potest separatim dici sine hypothetica enuntiatione eiusmodi οὐκ οἶδ' ἄν, quasi velles pro ἴστε που in Eurip. Heraclidd. v. 89. ἴσι' ἂν usurpare. id quum nullo modo firmari possit, corruit.

His breviter expositis, tum ut ἂν particulae naturam illustrarem, tum ut ambigua quaedam et controversiae plena, si modo possem, diiudicarem, aggredior iam ad summam quaestionis eius, quam ab initio proposui, quoad in enuntiatione libera optativus ab ἂν seiungi queat. In quo et illi mihi errare atque vagari videntur, qui id poetis lyricis, epicis tragicisque concesserunt, prosae orationis scriptoribus omnino denegarunt, et qui rudioribus dialectis tanquam insolentiam loquendi largientes ab politiore Atticorum sermone vel poetico vel pedestri secluserunt. Nam et genera loquendi quaedam sunt, in quibus nemo omnino Graecus homo potuit ἂν ad optativum adhibere, et tanta est istius voculae vis et gravitas ad modos sententiarum variandos, ut parum cordatos eos scriptores fuisse existimem, qui eius potestate semel cognita, adiectam eam et praetermissam in optativo iuxta aestimarint. Quaerendum est igitur, quoniam simplicis optativi vim, qualis esset, supra exposuimus, quae sententiae inveniantur, quarum eius notio sit propria. Reperimus autem in hoc genere praeter optatum duas adhuc cogitandi species natura consimili, quum vel alius personae cogitatio intelligitur, vel aliquid hypotheticum ita ponitur, ut ab ipso, qui loquitur, non certa ratione, sed quodam cogitandi arbitrio sit sumptum. Atque, ut hinc exordiar, perspicue hoc, quid sit, intelligitur, ubi

optativus eiusdem Verbi etiam per conditionem est additus: ut κακῶς μαχέσαιτο, εἰ μαχέσαιτο. Ita ineptissimus esset, si quis vellet ἄν subiungere optativo, nec probari posset, nisi mediis verbis interiectum, κακῶς ἂν μαχέσαιτο, ut particula ad universam sententiam spectaret, quasi κακῶς μαχέσαιτο unius Verbi notionem efficerent: quoniam istius simplex Verbi ratio ipsa in conditione ficta cernitur. Nam illa quidem apud Aeschylum in Agamemnone, v. 1057. et 1405., πείθοι' ἄν, εἰ πείθοιο, et χαίροιτ' ἄν, εἰ χαίροιτε, sanequam argute dicta exquisiteque, ne mihi opponas quaeso: illud est: morem gereres, si luberet: hoc, liceat gaudere, si lubeat, quod plenius Sophocles in Electra, v. 1457., χαίροις ἄν, εἴ σοι χαρτὰ τυγχάνει τάδε. Verum remoto isto brevitatis acumine, accuratissime est dictum a Sophocle in Aiace v. 908. Herm.,

ὡς ἀκμαῖος, εἰ βαίη, μόλοι,

et omnibus omnino Graecis ita licuit: prave, vel ineleganter diceretur Graece: ἀκμαῖος, εἰ βαίη, μόλοι ἄν: nam id ipsum venire voluntaria conditione ante est sumptum: quanquam illud per se minime contemnendum, quod doctissimis viris placuerat, ἀκμαῖ' ἄν, εἰ βαίη, μόλοι. Adeo inermes sunt, qui in prosae orationis latebras se abscondunt: quippe in eo, quod ratione prius quam consuetudine est expendendum. Nam in hunc modum et multa sunt accipienda apud poetas, et apud pedestris orationis scriptores nonnulla, licet conditio istiusmodi non disertis verbis, sed animo sit comprehensa. Quae species loquendi, ut magis in carminibus sit frequentata atque a poetis adamata, ubi, sententia utrumvis concedente, haec vel gratior auribus erat, vel metro commodior, tamen nec in sermone ab ea, si ratio suaderet, cogeretve, abhorrere potuerunt. Optime Plato in Theaeteto, p. 166. A. HSt., §. 60., ἐὰν μὲν ὁ ἐρωτηθεὶς, οἷά περ ἐγὼ ἀποκριναίμην (videlicet εἰ ἀπο-

κρινοίμην), ἀποκρινόμενος σφάλληται, ἐγὼ ἐλέγχομαι. Nescio, quo iure Bekkerus οἷά περ ἂν ἐγὼ ἀποκριναίμην perscripserit. Sed puto eum sua sponte osorem esse liberioris usus. Luculenter Aristophanes pedestri scriptori par habendus in Avibus, v. 180., ὥςπερ εἴποι τις, τόπος. nempe εἰ εἴποι, quam ipsam sententiam coniectando mutandoque assequi frustra conati sunt: Brunckius, ὥς τις εἰ λέγοι, ut idem Aristophanes in Ranis, v. 1158., ὥςπερ εἴ τις εἴποι γείτονι, —. Sed eadem brevitate Plato in Phaedone p. 87. B. HSt., §. 82., quum diceret: ἐμοὶ γὰρ δοκεῖ ὁμοίως λέγεσθαι ταῦτα, ὥςπερ ἄν τις περὶ ἀνθρώπου ὑφάντου πρεσβύτου ἀποθανόντος λέγοι —, non potuit ἂν post λέγοι collocare, quod ipsum hypothetica cogitatione anticipandum est, εἰ λέγοι: sed ὥςπερ ἂν λέγοι potuit, ut una attributum afficeretur. Et ita plane in Sophoclis Oedipo Colon. v. 42.,

τὰς πάνθ' ὁρώσας Εὐμενίδας ὅ γ' ἐνθάδ' ἂν
εἴποι λεώς νιν,

optativus εἴποι est intelligendus: ὅ γ' ἐνθάδ' ἂν λεώς, εἰ εἴποι, εἴποι νιν Εὐμενίδας: neque aliter in Electra, v. 800., ἐπείπερ οὔτ' ἐμαῦ καταξίως πράξειας,: scilicet εἰ πράξειας. Non condemnem prorsus illud in Cratylo Platonis, πάνυ γὰρ ἡδέως τὰ ἐπίλοιπα — ἀκούσαιμι, id est, si audirem, magna cum voluptate audirem: sed Bekkerus p. 81. πάνυ γὰρ ἂν ἡδέως — ἀκούσαιμι prodidit, quod praeferam, si librorum fide nititur: est enim satis frequens haec urbana loquutio. Belle adolescens apud Theocritum Menalcas ad suas res attentus Idyll. VIII. v. 20., Ἐνεργγ' ἂν ἐποίησα καλὰν ἐγὼ ἐννεάφωνον, ταύταν κατθείην· τὰ δὲ τῶ πατρὸς οὐ καταθησῶ.: nam ad ταύταν κατθείην cogitat, εἴ τι καταθείην: ut si nostratium more dicas allenfalls: die legte ich allenfalls nieder. Pindarus: τὸ γὰρ ἐμφυὲς οὔτ' αἴθων ἀλώπηξ οὔτ' ἐρίβρομοι λέοντες διαλλάξαιντο ἦθος: vulpes ac leones si quid mutent certe non mutaverint naturam. Summa sub-

tilitate Aeschylus ac decore plane admirabili in Agamemnone de Iphigenia immolanda, v. 225. Sch., εὖ γὰρ εἴη, id est, prospere contingat, siquidem contingat.

Soloece autem dicitur κεινὸς εἴην in Pindari Olymp. III. v. 81., stultus essem: optime Scholiastes ille et in longe quidem graviorem sententiam: κεῖνος εἴην, utinam sim ille, nempe ὁ τῶν δυνατῶν ἐφιέμενος καὶ μὴ ἀδυνάτων ἐρῶν, aut potius omnino σοφός: antecessit enim: τὸ πόρσω δ' ἐστὶ σοφοῖς ἄβατον κἀσόφοις. idque ita esse sibi persuasum habebunt, qui quibus Pindarus sententiis carmina sua soleat concludere, reputarint: ut Olymp. I. εἴη σέ τε τοῦτον ὑψοῦ χρόνον πατεῖν, ἐμέ τε τοσσάδε νικαφόροις ὁμιλεῖν, πρόφαντον σοφίᾳ καθ' Ἕλλανας ἐόντα παντᾶ., et Pyth. II., ἁδόντα δ' εἴη με τοῖς ἀγαθοῖς ὁμιλεῖν.: nam quae adversus illum alter disputavit Grammaticus de quadam dialectorum licentia, ea satis imperiti hominis levitatem coarguunt. Nihilo magis ἂν potest abesse in Isocrat. Panath. p. 253. C. HSt., οὐ γὰρ ἀποκρύψαιμι τἀληθές, ac sine ulla dubitatione οὐ γὰρ ἂν ἀποκρύψαιμι est ponendum: quoniam illa ratione alia sit collocatio verborum necesse est: οὐ γὰρ τἀληθὲς ἀποκρύψαιμι: quod sane si exstaret, retineri posset. In Platonis Phaedro p. 252. B. HSt. §. 70., θεοὶ δὲ ὃ καλοῦσιν, ἀκούσας εἰκότως διὰ νεότητα γελάσεας, ridere non hypothetice anticipatur, sed ratione statuitur. Ergo recte Bekkerus, Heindorfio praeeunte, commonstrante Stobaeo, futurum revocavit γελάσει: ac plausibile etiam Heindorfio placitum, γελάσει ἄν. Verissime Schaeferus in Xenoph. Hier. Cap. XI. §. 13. edidit: Θησαυροὺς γε μὴν ἔχοις ἂν πάντας τοὺς παρὰ τοῖς φίλοις πλούτους., ἂν ante πάντας restituto: etenim proxima quoque superiora clamant. Iam igitur facile potest perspici, penitus laborare optativum in Eurip. Iphig. Aul. 1209., οὐδεὶς πρὸς τάδ' ἀντείποι βροτῶν.: quanquam, si πρὸς τάδ' οὐδεὶς ἀντείποι diceretur, ex-

plicari posset, quod est, nemo repugnet hisce, si quis omnino repugnet. At quoniam verba secus sunt locata, amplector Hermanni correctionem, in Praefat. ad Aiac. propositam p. XXII., αντερεῖ. Inepte, de mea sententia, dictum perhibetur in Hippolyto, v. 468., οὐδ' ἐκπονεῖν τοι χρῆν βίον λίαν βροτούς· Οὐδὲ στέγην γάρ, ἧς κατηρεφεῖς δόμοι, Καλῶς ἀκριβώσειαν, quia insulsa sit conditio εἰ ἀκριβώσειαν in re consueta et quotidiana ac manifesta. Ergo οὐδὲ στέγην κἂν probo: nam ἀκριβώσει' ἂν dubito reponere, quanquam possit numerus multitudinis in singularem traduci, quod genus tractavimus in Coniectt. p. 153. 154.. Sententia, male docentibus Scholiastis, parum, ut arbitror, perspecta et explicata vulgo, haec est: Non debent mortales vitam nimis duram degere. Ac profecto ne tecta quidem domorum bene concinnarent, scilicet, nisi vellent molliter vivere. Nihilo magis probari potest simplex optativus in Theocriti Idyll. VIII. v. 89. itemque v. 91., quum actiones minime fictae, sed expertae satis et usu cognitae introducantur. Sed ad posteriorem locum aggrediar prius, etiam ob sententiam diu ac multum exagitatam οὕτω καὶ νύμφα γαμηθεῖσ' ἀκάχοιτο: quorum comparatione victi Menalcae animus est describendus. Ille autem praemio sibi erepto urebatur aegritudine ac perturbabatur, κατεσμύχθη καὶ ἀνετράπετο φρένα λύπᾳ: at sic hercle non potest sponsa nupta de amissa virginitate dolere, ut ἀκαχέσθαι adeo, angi tristitia videatur: pudore perfunditur, ac doleat licet, dulcis est dolor. Verum deserta a sponso aut orbata maceratur luctu et moerore affligitur incredibiliter: et aliquid tale hîc dictum oportuit mediusfidius. Atqui pro οὕτω in antiquis exemplaribus editis fertur ὡς. Hoc ergo assumpto correctionem invenio hanc:

ὡς δὲ κατεσμύχθη καὶ ἀνετράπετο φρένα λύπᾳ
Ὥτερος, ὡς νύμφα ἀγάμητος ἂν εὖσ' ἀκάχοιτο.

ut enim ille victoria, sic haec privatur nuptiis. Rarius vocabulum ἀγάμητος pro ἄγαμος certe de novae comoediae auctoribus quibusdam testatur Pollux libro III. Cap. III. §. 48.. Nuptiis autem carere, quam saepe moerent virgines in tragoediis, ut Polyxena in Euripidis Hecuba, v. 420., ἄνυμφος, ἀνυμέναιος, ὧν μ' ἐχρῆν τυχεῖν: quod hic ἄνυμφος Euripides, ἀνύμφευτος dixit Sophocles in Electra, v. 166., τάλαιν', ἀνύμφευτος αἰὲν οἰχνῶ. Sed in his ne multus sim, unum adhuc memoriter proferam versum ex Helena Euripidis, de Hermiona innupta, ἄγαμος, ἄτεκνος ὦ πόσι, καταστένει. Itaque νύμφα ἀγάμητος est, quam νύμφην ἄνυμφον appellavit Euripides in Hec. v. 616.. Namque peccarunt, qui νύμφα interpretati sunt puella omnino: nam diversa sunt apud Dorvillium ad Charitonem, p. 260.. Vides autem me οὕτω καὶ ut insititium respuisse. Videlicet ex antegresso obrepsit, in quo legebatur principio οὕτω κε:

— οὕτω κ' ἐπὶ ματέρα νεβρὸς ἄλοιτο..

Ita duplicem offensionem unâ removimus; sed de illis eo gravius dicendum erat, quo magis miror doctum virum in Specimine Quaestionum, p. 57. et 59., per quinque paginas credidisse sponsam post Veneris gaudia non solum tristem, sed ita moestam esse, ut sit misero illius, qui victus sollicitudine cruciatur, simillima; animum ut despondeat suumque cor edat. Ceterum scripturae diversitatem ex MSS. consignatam in Gregor. Cor. p. 274. Lips. commemorare nihil attinet. Quin ad alia progredimur exempla omissae ἄν particulae examinanda? In Theocriti Idyll. XXII. v. 162. ὡς ἀγαθοῖς πολέες βούλοιντό γε πενθεροὶ εἶναι, et γέ friget adiectum, et insulsa est conditio, si cogitetur εἰ βούλοιντο. Haec igitur caussa est, cur βούλοιντό κε rectissime a Brunckio repositum statuatur. Funditus repellendus est simplex optativus, et coniecturae qui-

dem arbitrio invectus in Pindari Pyth. Carm. IV. v. 118. Boeckh., Αἴσονος γὰρ παῖς ἐπιχώριος οὐ ξείναν ἱκοίμαν γαῖαν ἄλλων., quia qui vere advenit, conditionem fingere εἰ ἱκοίμην nequit. Thierschii ἵκοιμ' ἂν non improbaverit Wolfius, quoniam edidit illud in Iliade IX. v. 414.,

εἰ δέ κεν οἴκαδ' ἵκωμι, φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν.:

sed adeas Heynium tamen. Pindaria emendabo ad Sophoclis Oedip. Col. versum 199.. In Aeschyli Supplicibus, v. 741. Sch., ἴσως γὰρ ἢ κῆρυξ τις ἢ πρέσβυς μόλοι, restituendum ἴσως δ' ἂν — arbitror. In Euripidis Iphigen. Taur. v. 1025. Seidl., optime Marklandus: τὰ δ' ἄλλ' ἴσως ἂν πάντα συμβαίη καλῶς. Etenim ἴσως locum posse ἂν particulae obtinere, non liquet. In Aeschyli Prometheo, v. 618., nullius fidei est Turnebi scriptura, πᾶν γὰρ ἐκπύθοιό μου, atque incondite abest ἄν. Ex Ald. et Rob. πάντα γὰρ coniectura oritur veritatis, πάντα τἂν πύθοιό μου. cfr. 519., τοῦτ' οὐκ ἂν οὖν πύθοιο,.

Sed praeclare Moschus, ἔστι δ' ὁ παῖς περίσαμος· ἐν εἴκοσι πᾶσι μάθοις νιν·, inter quosvis viginti noscas, si modo noscas, quo via paratur ad descriptionem pueri, Idyll. I. v. 6.. Nec est suspectum quicquam in eiusdem Idyll. III. v. 114., praeter dativum fortassis, τῷ δ' ἐγὼ οὐ φθονέοιμι: aequabilior enim fluit oratio, si praecedentibus ταῖς νύμφαισι δ' ἔδοξεν ἀεὶ τὸν βάτραχον ᾄδειν· annectas τῶ δ' ἐγὼ οὐ φθονέοιμι· τὸ γὰρ μέλος οὐ καλὸν ᾄδει, hoc est, τοῦ τὸν βάτραχον ᾄδειν: eoque adducimur scriptura MS. οὐδ', ex τοῦ δ' videlicet genita. Sententia autem in optativo haec est: εἴ τινος φθονέοιμι, οὐ φθονέοιμι τοῦδε, si quam rem invideam, non invideam hancce.

Quum vero in hoc genere cogitandi ratio ea sit, ut primo quis fingat esse rem quampiam, deinde sumptae ei aliquid attribuat, et spe-

ciem describendo definiat (in quam partem nihil prorsus valet ἄν) ita igitur liquet attributo cuique saepe elegantissime posse γέ adiungi. idque sua auctoritate comprobarunt Homerus Theocritusque. Hic enim Idyll. XXII. v. 74., οὐκ ἄλλῳ γε μαχεσσαίμεσθ' ἐπ' ἀέθλῳ, scilicet εἰ μαχεσαίμεθα: ille bis accuratissime, ὃ οὐ δύο γ' ἄνδρε φέροιεν, Iliad. XX. v. 286. et V. 303.: id est, εἴ τινες φέροιεν, δύο γε οὐ φέροιεν. Sed quo melius ipsius Homeri iudicium perspiciatur, aequum est contendere Iliad. Α. 271. 272., καὶ μαχόμην κατ' ἔμ' αὐτὸν ἐγώ· κείνοισι δ' ἂν οὔτις Τῶν, οἳ νῦν βροτοί εἰσιν ἐπιχθόνιοι, μαχέοιτο.. Quodsi abesset ἄν, aut hoc cogitaretur, εἴ τις μάχοιτο, οὔτις μάχοιτο ἐκείνοις, ubi inepta est conditio si quis bellum gerat in re et usitata, et eo tempore cummaxime agitata, aut aliquid absurdum prorsus exoriretur, εἴ τις μάχοιτο ἐκείνοις, οὔτις μάχοιτο ἐκείνοις, re sumpta pariter atque negata. Adeo egregie usque ab antiquissimis temporibus senserunt Graeci, quantum interesset in hoc genere inter additum ἄν et praetermissum. Denique nihil difficultatis inest Odyss. Ξ. 120. 121., ὦ γέρον, οὔτις κεῖνον ἀνὴρ ἀλαλημένος ἐλθὼν Ἀγγέλλων πείσειε γυναῖκά τε καὶ φίλον υἱόν, id est, εἴ τι πείσειε, οὐ πείσειε ἐκεῖνον ἀγγέλλων, si quis quid persuaserit de Ulixi fatis, eius adventum certe nuntians nemini persuaserit. Ita proclive est interpretari Iliad. XIX v. 321. οὐ μὲν γάρ τι κακώτερον ἄλλο πάθοιμι: id est, εἴ τι πάθοιμι ἄλλο, οὐ κακώτερον πάθοιμι. At soloece ibidem XX. v. 426. οὐδ' ἄρ' ἔτι δὴν Ἀλλήλους πτώσσοιμεν: sed πτώσσωμεν oportet scribi.

Denique, ut in nostra audacia, si diis placet, obstupescas, contendo Scaligerum olim paene divinitus sensu suo assequutum esse simplicem optativum πρέποι in Euripidis Heraclidis, v. 527.,

> οὔκουν θανεῖν ἄμεινον ἢ τούτων τυχεῖν
> ἀναξίαν; ἄλλῃ δὲ καὶ πρέπει τινὶ

μᾶλλον τάδ', ἥτις μὴ 'πίσημος, ὡς ἐγώ..

In his quam indecore ac superbe Macaria ignominiam vitae in feminas ignobiles conficit: et quantum sibi detrahit rursus, dum ad πρέπει adiicit μᾶλλον. Quanto dignius pudore virginis per simplicem optativum dicitur, ἄλλῃ δὲ καὶ πρέποι τινὶ μᾶλλον τάδ' —. id est, si aliquam deceat, deceat magis ignobilem.

Ut autem hoc explicandi genus ipsi naturae optativi penitus congruum, eadem re ante per conditionem sumenda, solis luce est clarius, ita in eodem genere aliam esse speciem non minus concinnam senties, quae tamen nullam conditionem eiusdem verbi optativo conceptam vel oratione vel animo repraesentari patitur. Et tamen huius quoque formae certa quaedam nota certique fines sunt, ut sensus non possit incertus esse. Est autem illud eiusmodi, ut quis hyperbolicum fere aliquid et incredibile se comminisci profiteatur. Etenim sanequam lepide ac venuste puella amatori multa pollicito respondet apud Theocritum, Idyll. XVII. v. 60., φῄς μοι πάντα δόμεν· τάχα δ' ὕστερον οὐδ' ἅλα δοίης.. His si ἂν vel κε addideres, vah! quantum periret Veneris. Lasciva puella, quod ipsa minime credit, loquitur, nec vult videri serio se credere, sed tentat dissimulare tantum: qua ironia eo fit amabilior, et auget amoris flammam. Tale fere quiddam est in nostratium more, ubi dicimus: am Ende: veluti, am Ende giebst du mir gar nichts. In eiusdem Idyllio IV. v. 11.,

Πείσαι τοι Μίλων καὶ τὼς λύκος αὐτίκα λυσσῆν.,

et optativus sincerus est, et relicua sunt integerrima. Etenim ad quae maxime animus sit attendendus explicationem quaerenti, omnium sagacissime odoratus est ille Toupius: modo non dilucide satis sensum expompsit suum. Respexit poeta, inquit, ad versum praecedentem, κῴχετ' ἔχων σκαπάναν

τε καὶ εἴκατι τουτόθε μῆλα. Ubi notandum illud, εἴκατι μῆλα, *viginti oves:* qui fundus sententiae. Facit Aegon, quod lupi facere solent. *Oves* dilaniat. Nimirum frustra sunt, qui persuadendi facultatem Milonis admirandam hoc versu praedicari volunt, de qua nec antea ullus colloquentibus sermo fuit, nec post commemoratur quicquam. Patet autem esse diverbiorum naturae consentaneum, ut respondentis verba ad id respiciant, unde ad respondendum erat ab altero excitatus. Atqui dementiam Aegonis prior narraverat Corydon, in quam a Milone erat illectus, tantam, tamque incredibilem, ut viginti adeo pecora de suis secum abstulisset. Itaque Milonis culpâ suo ipsius grege Aegonis imminuto, at verendum est denique, inquit Battus, ne improbus ille Milo etiam lupos ad damna nostra impellat, inque greges, abs quibus arcere studemus, eos ultro alliciat. Utique hîc quoque summa est simplicis optativi elegantia: quasi dicas: Am Ende lockt der uns gar noch die Wölf' in die Heerden.

His iam expositis, ad alterum genus accedimus illud, quod prius commemoratum erat, omissae in liberae enuntiationis optativo ἄν particulae,

quum alius personae cogitatio intelligitur.

Id nimirum in libera enuntiatione non potest nisi tentando fere aut percontando fieri, ut optativo cogitatio non loquentis (subiecti), sed aliena subsit. Quod ita liquet, ut res statim possit exemplis confici. Lepidi sunt enim in hoc quoque genere nonnulli, qui omissum ἄν poetis tantum concedendum sedulo ingerentes, sua quisque pedestrium scriptorum cognitione doctrinae fines muniunt. Videlicet a sententiae ratione nonnunquam necessitas adeo ita loquendi imposita est, ut Demostheni in Leptinem Orat. §. 97., do-

cumento plane illustri, *εἰ δὲ μηδεὶς ἐν ἅπαντι τῷ χρόνῳ ταῦτ' ἔχει δεῖξαι γεγονός, τίνος εἵνεκα ἐφ' ἡμῶν πρῶτον καταδειχθείη τοιοῦτον ἔργον;*. In isto genere optativus nostrum sollte valet: ut, wenn das noch nie geschehn ist, warum *sollte* das ietzt zuerst eingeführt werden? Invehitur enim in illum, qui ἀπάλειαν tollendam censuit. Addas ἄν: efficies aliquid languidum et ab animo ac voluntate oratoris abhorrens, warum *würde* (*könnte*) dieses ietzt zuerst eingeführt werden? De potestate efficiendi aut iure ne agit quidem: in opinionem tantummodo adversarii, qualis sit cunque, inquirit. Nunc demum recte statui potest de Aristophanis Antiphanisque verbis, a me propter particulae eius defectum perstrictis in Praefat. ad Coniectt. p. IX. X., Pluti versu 874., *ὦ Ἡράκλεις, φέρε, ποῖ τις οὖν τράποιτο.*, Brunckii commentum *ποῖ τις ἂν* erit ad stomachum ejus, credo, qui, quomodo sermonibus Graecorum connectendis particulae serviant, nescit. Concinne autem et illud dictum, wo *sollte* man sich nun hinwenden?, et ab Antiphane,

τοῦ γάρ τις ἄλλου, πρὸς θεῶν, φέρ', οὕνεκα
εὔξαιτο πλουτεῖν —;,

ubi si cui ἄρ' meum quondam illud a positu displiceat, videbit nunc liberum ab offensione locum: nam Porsonis πάτερ ab tragico pedum eius versus incessu alienissimum est, praesertim post grandiorem nec de socco petitam omisso articulo loquutionem, *πρὸς θεῶν*. Aristophanes rursus in Ecclesiazusis, v. 667., *πῶς γὰρ κλέψαι —;* wie *sollte* er denn stehlen?. In hunc modum accipienda sunt Aristophanis, *ποῖ τις φύγοι;*, Aeschyli in Supplicibus, *τίνα γοῦν χώραν εὔφρονα μᾶλλον τῆσδ' ἀφικοίμεθα;*, Euripidis; *ὃν μὴ σὺ φράζεις, πῶς ὑπολάβοιμεν λόγον;*, Sophoclis, *τεὰν Ζεῦ δύνασιν τίς ἀνδρῶν ὑπερβασία κατάσχοι;*, et item Aeschyli in

Choephoris, ἀλλ' ὑπέρτολμον ἀνδρὸς φρόνημα τίς λέγοι;, et quae meditabunda proposuit Clytaemnestra in Agamemnone, v. 1387., πῶς γάρ τις — πημονὴν ἀρκύστατον φράξειεν —;, Sophoclis in Oedipo Col. πῶς - ἄγοιμι, v. 1418., de quibus plura commemorabuntur suo loco: Theocriti, καὶ τί φίλος ῥέξαιμι;. Adeo considerate atque perspecte optativum in interrogando tutatus est Schaeferus ad Posidippum in Brunck. Poett. Gnomm. p. 195., cuius excellentissimi viri opera copiisque per viginti annos immensum quantum adaucta est Graecae linguae intelligentia. Ad haesitationem animi confusionemque exprimendam Plato non potuit melius, quam per simplicem optativum in Theaeteto, p. 165. B. HSt. §. 58., τί δὴ οὖν ἀποκριναίμεθα ὦ Θεαίτητε; atque is ἀδύνατόν που, inquit, οἶμαι ἔγωγε. mediocri iudicio Bekkerus futurum elegit ἀποκρινούμεθα. Denique elegantissime Homerus in Iliade, B. v. 340.,

ἐν πυρὶ δὴ βουλαί τε γενοίατο, μήδεά τ' ἀνδρῶν,
σπονδαί τ' ἄκρητοι καὶ δεξιαί, ᾗς ἐπέπιθμεν;.

In quibus multae et variae tricae sunt nexae a doctoribus. Nempe aut optativum pro praeterito, aut pro futuro dictum, ut Heynius, aut ἄν omissum statuerunt, aut novitio exclamandi signo suscepto (!) sententiam expedire conati sunt. Nullis his machinis Homerus indiget, satis dilucide sensus suos, sine ulla lineolarum figuratione, verborum schematis expressurus. Nestor igitur aliorum opiniones fingens acerbe increpat: So sollten wohl vernichtet werden die Rathschläge — ?. ἄν vel κε seu κεν admixto, ieiune ac tenuiter Nestor illud tanquam suum iudicium eloqueretur, aculeique penitus isti tollerentur. Atque huius quidem generis exempla ad ingentem cumulum potuerunt coacervari. Nobis paene ultro haec oblata sunt congregantibus; sed multa coegerat Hermanni atque Matthiae labor.

Eodem modo interpretandae sunt enuntiationes pronomine vel particula relativa alligatae et simplici optativo affectae, ut in: ἔστ' οὖν ὅπως Ἄλκηστις ἐς γῆρας μόλοι; apud Euripidem, et aliis exemplis ab Hermanno collectis ad Soph. Aiac. p. 149.. Scite illic et modeste Θάνατος rogatur: sollte denn wohl Alcestis zum Alter gedeihn?. Non enim facultas potius, quam voluntas Mortis exquiritur. In Oedip. Col. v. 1168., moderate Theseus: καὶ τίς ποτ' ἐστίν, ὃν γ' ἐγὼ ψέξαιμί τι;. In Platonis Euthydemo, p. 292. E. HSt., αὖ ἴσου ἡμῖν ἐνδεῖ ἢ ἔτι πλέονος πρὸς τὸ εἰδέναι, τίς ποτ' ἐστὶν ἡ ἐπιστήμη ἐκείνη, ἣ ἡμᾶς εὐδαίμονας ποιήσειε Hermannus ad Herculem Fur. Euripidis, v. 616., optativo non offenditur, aoristum repudiat: quod miror. Nihil enim profecto reprehenderet, si ἣ δύναιτο καιῆσαι dictum esset. Non enim praeteritum tempus cogitetur necesse est, sed actio una atque a continuatione separata. Simplicis optativi autem haec vis est: quam quis credat nos reddere beatos. Ita rectius poterit existimari de Sophoclis dictione in Antigona, v. 912.,

μητρὸς δ' ἐν Ἅιδου καὶ πατρὸς κεκευθότων,
οὐκ ἔστ' ἀδελφὸς ὅστις ἂν βλάστοι ποτέ..

Res enim ea, cuius omnis omnino potestas est ademta, ita ut ne mente quidem percipi possit, gravius enuntiatur sic: οὐκ ἔστιν ὅστις βλάστοι. Quamobrem, quum ab Clemente Alexandr. in Stromatum libro VI. p. 747, ἀνάβλάστοι sit proditum, Sophoclem ἀμβλάστοι scripsisse reor.

His confectis perspicuum est, non posse eum, qui tam dicturum se profitetur, omisso ἂν dicere λέγοιμι, sed necesse esse λέγοιμ' ἂν dicier, ut in Aristophanis Lysistrata, v. 97. et 119., Euripid. Heraclidd. v. 848., Sophoclis Oed. T. v. 95. et 282. etc.. Recte igitur Seidlerus Piersonem reprehendit ad Eurip. Iphig. Taur. v. 793., quod λέγοιμι voluit seorsim dictum inferre: male, inquit, abest ἂν ab λέγοιμι. Ceterum inter-

pungendum illic quoque post λέγοιμ' ἄν, versu verbisque hunc in modum instauratis:

λέγοιμ' ἄν· ἀκοαὶ πρῶτον Ἠλέκτρας τάδε.

Rerum palaeographicarum vel mediocriter peritis patebit imprimis vocum ἄκουε et ἀκοαί confusio.

Deinde vix est, quod moneam, nonnunquam, ubi neglectum videatur ἄν, ex priore enuntiato ad posterius repetendum esse. In hanc rem ob tria testimonia, unum ab Homero, bina ab Aristophane ducta, laudamus Thierschium in Gr. Hom. p. 521. §. 336. 2.: sententiam Blomfieldi quoque memoramus annotationi ad Aeschyli Agamemn. v. 1016. mandatam: documentum eius reprobamus.

Sed iam cum Hermanno, abs quo multa profecimus, pugnandum est, quod ad Sophoclis Aiacem, v. 904., existimavit, optativum aoristi sine ἄν poni congruenter coniunctivo praeteriti Latinorum, veluti: redierim. Quod quidem praeceptum tribus quatuorve potissimum argumentis convinci arbitramur. Primum ipsa repugnat eius notio optativi. Nam etsi optativus in ligata enuntiatione a praeterito tempore finito aptus, facile se ad hoc accommodat, etiam eo modo, quo in Aristophanis Vespis, v. 282., λέγων, ὡς φιλαθήναιος ἦν καὶ τἀν Σάμῳ πρῶτος κατείποι, tamen per se, nullo aliunde monstrato eius temporis spatio, aoristi optativus, non quod praeterito fieri tempore potuit, sed quod factum esse futuro tempore potest, significat. Id ita esse, plane intelligitur optatis inter se comparandis, utinam vicissem, εἴθε ἐνίκησα, utinam vicerim, εἴθε νενικήκοιμι, (cfr. Macrobium de differentt. et societatt. Gr. Latinique Verbi, p. 683. Gron.) utinam vincam vel vincerem, εἴθε νικῴην vel νικήσαιμι: quanquam huic in hoc loquendi genere Latini nihil habent prorsus conveniens in modis.

Alterum est, quod, illa si vis esset simplicis optativi aoristi, quam voluit Hermannus, ἄν vero accedente abesset, caussa mutationis in hac esset particula sita. Atqui haec modalitatem quam philosophi vocant afficit, non tempus unquam. Ergo non potest vis illa praeteriti temporis in omissione particulae cerni.

Tertium accedit, quod, illa si vis esset simplicis

optativi aoristi, quam voluit Hermannus, deberet ubique eadem in eadem forma loquendi obtinere, quia idem eisdem conditionibus et statui et tolli nequit. Atqui, ut alia multa exempla praetermittam, vel unum illud Demosthenis nostrum adversatur. Aut igitur exempla sint corrupta necesse est, aut illa concidat sententia, oportet.

Denique satis constare puto, Graecos ubi quid praeterito fieri tempore potuisse significant, ἄν cum indicativo aoristi sociare: (ut iam imperfecti atque plusquamperfecti indicativum mittamus) ubi esse aliquid posse effectum sentiunt, uti cum ἄν perfecti optativo. Graecus ergo, si voluit exprimere: quo me converterim, non dixisset ποῖ τραποίμην;, sed aut ποῖ ἄν ἐτραπόμην;, aut ποῖ ἄν εἴην τετραμμένος;, scilicet: utcunque Latinum illud intelligendum est: illud autem proprie est, wo sollte ich mich hingewandt haben? ποῖ ἄν τραποίμην, quo me convertero: quod futurum exactum tamen in ceteris personis supra consulto interdum evitavimus hanc ipsam ob caussam, ne coniunctivi praeteriti loco haberetur.

Praeterea quam summi viri sententiam rationibus hisce non credendam in Germania demonstrare conati sumus, veram iamiam credidit, ceterum incredulus Germanis verissimis in rebus Britannus, humanissimus Blomfieldus ad Aeschyli Agamemnonem, v. 1345.

Superest, ut loquendi genus attingam, diu a multis non satis exploratum, quod in praeterito tempore indicativi, imperfecto, plusquamperfecto et aoristo praetermissum est ἄν nonnunquam. Nam etsi pervagatum hoc est in ἦν, ἐχρῆν, ἔδει, tamen non item in aliis Verbis statuerunt nonnulli communi consuetudine receptum fuisse. De qua re verissime iam pridem iudicavit Hermannus ad Aristophanis Nubes, v. 1342., ἐδιδαξάμην μέντοι σε, νὴ Δί', ὦ μέλε Τοῖσιν δικαίοις ἀντιλέγειν, εἰ — μέλλεις —: quanquam hoc exemplum non satis idoneum, quia alium explicatum habet. Sed recte statuit idem de Ranarum versu 866., ἐβουλόμην μὲν οὐκ ἐρίζειν ἐνθάδε, in quo affirmare possum, Brunckii correctionem,

ἐβουλόμην μὲν ἂν οὐκ —.

aures laesuram fuisse Aristophanis. Idem in Ecclesiazusis, v. 772., ἀλλ' ἰδὼν ἐπειθόμην, atque v. 255., τούτῳ μὲν εἶπον ἐς κυνὸς πρωκτὸν βλέπειν., ubi itidem Brunckius ἂν inferciendo horridiorem reddidit absurdo anacrusis anapaesticae sono trimetrum,

τούτῳ μὲν ἂν εἴποιμ' —.

Scripturae εἴποιμι auctoritatem convelli in Coniectt. Praef. p. IX.: εἶπον praeter Scholiasten ad Acharnenses et antiquos typis impressos habet MS. liber Monac. cum Ravennate. Plato Sympos. p. 190. B. Cap. XV. W. αἱ τιμαὶ γὰρ αὐτοῖς καὶ τὰ ἱερὰ τὰ παρὰ τῶν ἀνθρώπων ἠφανίζετο, cultus enim et victimae abolitae forent diis, humanum genus si perderent (εἰ τὸ γένος ἀφανίσαιεν). Nihil ergo reprehensionis est in Sophoclis Electra, v. 1022., πάντα γὰρ κατειργάσω., atque Hermannus tutatus est. Quumque nuper Elmsleius diligentia sua planum fecerit, repudiatam esse ab Atticis ἂν insequente elisionem formarum tertiae personae in ε̄ vel εν desinentium, gaudeo iudicium animi mei comprobari, quod semper statui, praeclare Hermannum ad Hecubam p. 168. sensisse, aurium convicio commotum, ut παρέσχ' ἂν et ἐλάνθαν' ἂν ut absona respueret, et pro fictis haberet. Verum caussam tamen istius veterum accusationis non videtur mihi vir eximius idem perspexisse in Praefat. ad Sophoclis Electr. p. XV.. Nec potuit assequi, ut arbitror, quia ἂν non cum Modo Verbi sociatum esse oportere autumabat. Quodsi abhorruerunt Attici ab elidenda ante ἂν vocali ε̄ in tertia persona ν̄ recipiente, licet quaerere, num eodem pacto in ista caussa versati sint, ubi praepositio sequeretur ἀνά, veluti, παρέσχ' ἀν' Ἑλλάδα. In quo equidem minime offendo. Etenim caussam illius rei hanc habeo. Quoniam erant Atticorum aures in illis personarum formis levi ac tenui syllabae sono assuefactae, non tulerunt illum tanquam crassiore filo exitum in ἂν cadentem, iccirco, quia haec vox, Modo Verbi propria, arctissime ad Verbum pronuntiando astringeretur, ac paene elisae syllabae loco haberetur. Quae natura quoniam praecipua est in hac particula, elisionis quoque fugiendae cura in hanc unam cadit, neque aliis voculis similiter sonantibus communis est.

Praeterea in indicativis eiusmodi conditioni subie-

ctis ratio, qua potuerit commode particula haec abesse, ita in promptu est, ut etiam Latini optimi quique hoc genus sint imitati. Frustra laboravit Heynius in Virgilii dictis Aeneid. VIII. v. 522., Multaque dura suo tristi cum corde put*abant*, Ni signum coelo Cytherea dedisset aperto: Horatius Od. 17. lib. II. v. 28., Me truncus illapsus cerebro Sustu*lerat*, nisi Faunus ictum Dextra levasset,: Cicero Orat. pro Milone, cap. 11. §. 31., quodsi ita putasset, certe optabilius Miloni *fuit* dare iugulum Clodio: temere Ernestus scribi censet oportere fuisset. Adeas Dav. Ruhnkenium in Rutil. Lupi p. 107. et Heusingerum ad Cic. Offic. II. cap. 1. p. 379. Quanquam interest aliquid, utrum indicativum ponas simpliciter, an vel Graece particulam adiungas ἄν, vel Latinorum more coniunctivum eligas. Simplex enim Modus ille eventum significat veritati proximum, et iam certissimum, nisi ex conditione esset aptus: alterum paullo est incertius et magis dubie dictum. Luculentum huius differentiae exemplum videmus in Ciceronis de Orat. libro III. §. 12., nam tibi aut civilis ferri subeunda *fuit* crudelitas, aut si qua te fortuna ab atrocitate mortis vindicasset, eadem esse te funerum patriae spectatorem coëgisset: nam coniunctivus hic a remotiore conditione suspensus est.

Ceterum non possum, quin iis valde adverser, qui Latine loquentes ad ἄν vertendum posse adhibent. Quid tum erit οὐκ ἂν δυναίμην? nempe, non possim posse. Elegantius transfers: non possim idoneus esse: at hoc est: οὐκ ἂν δυναίμην οἷός τ' εἶναι, videlicet in hanc sententiam dictum: τὸ ἐμὲ οἷόν τ' εἶναι ἀδύνατον ἂν εἴη. Quare nego recte praecepisse Hermannum ad Soph. Electr. p. 16., ut fundere possim Graece esse, ὡς ἂν ἀφείην. Immo est ὡς ἂν δύνωμαι ἀφεῖναι: nam ὡς ἂν ἀφείην, ubi finale est ὡς, tantum in subiectivae cogitationis formam cadit. de quo genere copiose dicetur ad Sophoclis Oedip. Col. versum 11.. Atque eo progressus est Hermannus ad Aiacem p. 132., ut ipsum δύνασθαι usurparet particulae loco. Nam πίπτειν ἄν, πεσεῖν ἄν respondentem habet hanc sententiam, inquit, δύναται πίπτειν vel πεσεῖν. Quid ergo, si dicam νόμιζέ με ἐλθεῖν ἄν, ἢν δύνωμαι?

Nam πολλὰ δυνάμενα γενέσθαι οὐκ ἂν γένοιτο recte dixerim: at πολλὰ γενέσθαι δυνάμενα οὐ δύναται γενέσθαι Hermannus fugiet et sanus quisque mecum.

Tandem ad principium disputationis revertor, ut telam quam exorsus sum ratiocinando pertexam. Optativus igitur in libera enuntiatione pro sua vi atque natura 1) vel votum eius personae quae loquitur notat,

2) vel hypotheticum aliquid esse non certa ratione, sed quodam arbitrio cogitandi sumptum indicat,

3) vel ad alius personae cogitationem spectat.

Nam quum omnis cogitatio vel praesentis subiecti sit vel alius, et rursus omnis cogitatio vel caussae notionem adiunctam habeat, vel in quadam opinione versetur, non potest optativus in libera enuntiatione de praesentis subiecti cogitatis sine caussarum accessione conceptis, et ab rei (obiecti) consideratione alienis, nisi prioribus modis duobus intelligi: in alterius autem personae animum quae cadunt, quo tandem alio modo possunt in libera enuntiatione praeterquam interrogando efferri? vel sine ἄν, ubi absit caussae meditatio, vel adiecto eodem, ubi sententiam eius rationibus nisam de eo, quod fieri queat, poscimus.

In ligata autem enuntiatione quum eaedem prorsus sint tanquam species unius generis, tamen loquendi formarum (grammaticarum) maior est copia atque varietas, quarum genera antea descripsimus. Distinguendae autem sunt accuratissime atque secernendae conditionales enuntiationes et finales. illae enim quod antecedit, alterae quod consectarium est designant. Quare has iam supra ab illis seiunximus: copiosius autem tractabimus ad Sophoclis Oedip. Col. v. 11. nec differunt omnino finales enuntiationes optativo expressae inter sese, sive addas ἄν sive adimas, nisi forte scriptoris cuiusque aut scribendi generis consuetudine, quia suapte natura exitus rei non potest sine caussarum nexu diiudicari: ut ὡς ἂν ἀφείην perinde atque ὡς ἀφείην dictum sit.

CAROLI

CAROLI REISIGII THURINGI

DE

CONSTRUCTIONE ANTISTROPHICA

TRIUM

CARMINUM MELICORUM

A R I S T O P H A N I S

SYNTAGMA CRITICUM.

A

CAROLI REISIGII THURINGI

SYNTAGMATIS CRITICI

CAPUT I.

Quum multae res in arte metrica apud Atticos aliter sint a comicis poetis atque a tragicis institutae, tum vero magnam saepe eorum dissimilitudinem in melicorum licet carminum constructione animadvertere, quae in membrorum formis ad modorum congruentiam distinguendis cernitur. Quorum si quis rationem ac normam a tragicis ad comoediae carmina traduxerit, atque eandem in istis persequi usquequaque voluerit, is diu ac multum et in non paucis quidem laborabit, nec assequetur tamen quod expetierit, tandemque frustra se aestuasse in illis confitebitur. Praecipuum quoddam atque id iocosum et lepidum genus Capite septimo libri primi Coniectaneorum explicavimus. Aliud rursus hoc est, quod nunc proferam, idque ipsum proprium comoediae. Etsi enim satis constat, tragicos poetas interdum non plane terminata verborum comprehensione quaque a stropha ad antistropham transiisse, tamen illi id modice fecerunt et in longiore numerorum tractu: Aristophanes non solum frequenter hoc quicquid est licentiae

consequutus est, sed in brevissimis carminis partibus: neque strophae modo ad suam antistropham perducendae ullum orationis intervallum adhibuit, sed ne tum quidem, quum ad novam perveniret stropham, vel ad alienam antistropham. Aliquid de hoc genere libro I. Coniectaneorum, Capite VI. ostendimus, p. 195. et 198.: professique sumus nos eius uberiorem expositionem in alterum librum collaturos. Et illic quidem certe novem, vel decem carmina eiusmodi tractabo. Interea, dum liber ille prodibit, tria huic scriptioni impertiam, ne videar nimium diu in rebus gravissimis, de quibus operam meam sum pollicitus, silentium penitus obtinere. Aspergam autem suas carmini cuique annotationes, quibus, si quid mutatum praeter librorum auctoritatem fuerit, diligenter rationem reddam. Quodsi erit in illis ubi ulterius progrediar ad alia, quae non sint necessario cum proposita quaestione coniuncta et tamen possint haud inopportune accedere, si modo utilia sint, veniam mihi eruditos homines huius accessionis esse daturos spero.

CAPUT II.

Primum igitur, quod est in Ecclesiazusis carmen, vv. 571.—589., in hunc modum constituo:

α΄. Νῦν δὴ δεῖ σε πυκνὴν φρένα καὶ φιλόσοφον ἐγείρειν

α΄. φροντίδ' ἐπισταμένην ἐπὶ ταῖσι φίλαισιν ἀμύνειν.

β΄. κοινῇ γὰρ ἐπ' εὐτυχίαισιν ἔρχεται. γνώμης ἐπίνοια πόλιν

β΄. πάνδημον ἐπαγλαϊοῦσα μυρίαισιν ὠφελίαισι βίου

ἐπῳδός, δηλοῦν ὅ, τι περ δύναται καιρός.

Α'. δεῖται γάρ τι σοφοῦ τινος ἐξευρήματος ἡ πόλις ἡμῶν.
Β'. ἀλλὰ πέραινε μόνον
Β'. μήτε δεδραμένα πω
Α'. μήτ' εἰρημένα πω πρότερον, μισοῦσι γὰρ ἢν τὰ παλαιὰ
ἐπῳδός. πολλάκις θεῶνται.

Ita habemus duo systemata,

ά. ά. β'. β'. ἐπῳδός.

Α'. Β'. Β'. Α'. ἐπῳδός.

In stropha ά. πυκνὰν ex Aldino in plurimos disseminatum libros Brunckio certe excidit invito. voluerat enim πυκνὴν ex MS. suo. Recte vero hoc ille: neque loci quicquam hîc est Doricae dialecto: sed manuscriptos prius libros consuluisse quid opus erat ad hanc rem, quum bonam scripturam Juntinum exemplar teneat A. 1515., unde accepit Gormontius? Dignum est etiam illud commemoratu, paenultimam nominis φιλόσοφον ita esse pronuntiandam, quasi scriptum esset φιλόσσοπφον, in modum Homerici αἰόλον ὄφιν, de quo dixit praeter alios Fred. Aug. Wolfius in Praefatione Novae Editionis Homeri Carminum, p. LXXI.

Ex antistropha ά. praepositio intercidit ἐπὶ in libris veteribus: quam quidem librarii facile potuerunt tanquam inanem contemnere, praesertim uno versu isto in duos dissecto et ab hexametri specie remoto, uti legitur in exemplaribus:

φροντίδ' ἐπισταμένην
παισὶ φίλαισιν ἀμύνειν.

saepe illi soliti omittere praepositiones in Verbis potius quam ultro addere, id quod perstrinxi in Praefatione libri I. Coniectt. p. XV.: vel etiam tritum quidvis interdum in earum locum substituere. veluti in Xenophontis Oe-

conomico, Capite IIII. §. 21., ἐπεὶ δὲ ἐθαύμαζεν αὐτὸν ὁ Λύσανδρος, ὡς καλὰ μὲν τὰ δένδρα εἴη, δι' ἴσου δὲ παραπεφυτευμένα, ὀρθοὶ δὲ οἱ στίχοι τῶν δένδρων, εὐγώνια δὲ πάντα καλῶς εἴη —, librarius quum reperiret π^α πεφυτευμένα, pro composito Verbo haud vulgari posuit τὰ πεφυτευμένα.

In stropha β. mendosa est scriptura vetustorum exemplarium typis impressorum γλώττης ἐπίνοια. Nam quis ita potuit loqui consulto? An erunt, qui defendere conentur, quia Fr. Aug. Wolfius, summus ac singularis vir, *ipsorum linguis cogitare debemus* dixerit in Analectis, Vol. II. p. 285.? Deinde reconcinnavi quum strophae exitum, tum exordium antistrophae, verbis nostrorum exemplarium omnium πολίτην δῆμον conversis in πόλιν πάνδημον. Illa loquutio licet non possit suapte vi refelli, tamen etiam ad sententiae lumen multo illustrior est haec altera. Ad istam corrigendi similitudinem dirigenda est emendatio verborum in Sophoclis Trachiniis, v. 146.,

τὸ γὰρ νεάζον ἐν τοιοῖσδε βόσκεται
χώροισιν αὐτοῦ· καί νιν οὐ θάλπος —,

de quibus quae egi in Coniectt. Capite I. p. 46. multis annis exarata, postea, quum e castris revertissem, non recordatus sum prius, quam semel typis impressa, quamvis diu improbata, tollere litura non licuit. Illud ἀεί enim, de quo cogitaveram, etsi aptissimum est in Terei fragmento Sophoclis apud Stobaeum, νέαι μὲν ἐν πατρός Ἥδιστον οἶμαι ζῶμεν ἀνθρώπων βίον. Τερπνῶς γὰρ ἀεὶ πάντας ἁ'γνοία τρέφει·, tamen in illo quidem loco valde frigere sentio. Multo etiam magis friget αὐτοῦ praesertim in clausula enuntiati. Scholiastae tamen componunt omnia: ἐν τοιοῖσδε χώροις explicant: ἐν τοῖς τόποις τῆς ἀμεριμνίας. scilicet τοιοῖσδε, ὥστε μὴ θυμαφθορεῖν: αὐτοῦ. τοῖς ἰδίοις ἑαυτοῦ, et in tantas compellunt Sophoclem verborum angustias.

ut illam facundissimi hominis ubertatem et copiam nequaquam possis agnoscere, et iam infantem potius quam disertum habeamus. Quoniam autem αὐτοῦ liquet mendosum esse, eius mendi correctionem habeo satis certam,

τὸ γὰρ νεάζον ἐν τοιοῖςδε βόσκεται
χώροις ἄνατον· καί νιν —,

Reconditum nomen ἄνατος attigerunt Hesychius, Grammaticusque in Etymologico M. p. 100. 57. Ad Hesychium doctè de eodem commentatus est Io. Albertus, Vol. I. pp. 345. 346. Varie idem in libris depravatum Aeschylo in Agamemnone reddidit ante Dawesium Canterus, Bacchylidi Schaeferus in Meletematis: Sophocli ipsi in Oedipo Coloneo illud antiqua quaedam monumenta custodiverunt. Caeterum τοιοῖςδε non ad superiora refero, quemadmodum fecit Scholiastes: sed ex νεάζον intelligo νεάζουσι, θαλεροῖς, νεοθαλέσι χώροις, quia poeta iam propriam videtur regionum consectari imaginem.

In antistropha β'. optimam scripturam ὠφελίαισι conservavit Ravennas. Quod est in ceteris, etiam Monacensi MS., εὐτυχίαισι immigravit huc ex superioribus. Exquisitiorem illam nominis formam, in Etymologico M. commemoratam p. 462. 20., usurpavit Alpheus Epigrammate II. v. 6. Praeterea continuationem verborum prava interpunctione distinctam emendavi. Perverse constructam orationem, κοινῇ γὰρ ἐπ' εὐτυχίαισιν ἔρχεται γνώμης ἐπίνοια, πολίταν δῆμον ἐπαγλαϊοῦσα —, δηλοῦν, ὅ, τι περ δύναται καιρός., vitiose vertit Brunckius in hanc sententiam: *Ad communem enim felicitatem adhibenda tibi est — solertia, quae civilem populum adornet infinitis prosperitatibus vitae, et demonstret, quid occasio possit.* Neque proficit quicquam ad veritatem illud Tanaq. Fabri a Kustero Bergleroque retentum: *Quippe — solertia adest, —, infinitis prosperitatibus vitae demonstran-*

do, quid occasio possit. Quantumvis sublevari cetera vertentes possint, ipsi sua sponte corruunt in verbis ἔρχεται et δηλοῦν, ac funditus se abiiciunt atque prosternunt. Tanaquillus tamen Faber obscuritatem confessus est, ac sustulisset fortassis, nisi Prophetis Hebraeorum fuisset assuefactus. Itaque *paullo intricatiora haec sunt*, inquit, *et quemadmodum in Choris assolet, attonita: nam quibusdam Choris id peculiare est, ut obscuritate utantur. Qualis propemodum in Prophetis Hebraeorum* etc.. Atqui Aristophanes satis perspicue loquitur, isque in hanc illa partem voluit accipi: tempus venit, quo apertum fiat in communem civium prosperitatem, quantum valeat consili prudentia civitatem universam innumerabilibus vitae commoditatibus adornatura. Godofr. Henricus Schaeferus in aureis Adnotationibus ad aureolum Meletematum Criticorum librum, p. 75., *quam salutarem*, inquit, *ac lenem medicinam plurimis scriptorum veterum locis, vel perperam intellectis vel temere tentatis, sola interpunctionis mutatio afferat, saepissime docuerunt Critici*. Possem vero de hac re exempla proferre nova complura ex fabulis Aristophanis: sed haec alias: unum modo nunc ex illis, quod proxime ad Schaeferum pertineat. Volo enim nunc sapientissimi viri praeceptum in una quadam re adversus ipsum adhibere, ac scio mihi veniam istius libertatis daturum esse virum amantissimum: cuius tanta in me exstant beneficia, ut eius erga me animum ac voluntatem inter summa debeam vitae meae bona numerare. In Lysistratae versu 180.,

πανταᾶ κ᾽ ἔχοι, καὶ τᾶδε γὰρ λέγεις καλῶς.

Brunckius, quae ipse non intelligeret verba πανταᾶ κ᾽ ἔχοι, eorum suo arbitratu versionem finxit, *omnino fieri possit.* In suspicionem vocavit illa Gisb. Koenus ad Gregorium Corinthium, atque emendare conatus est: Schaeferus autem ad istum locum p. 214. si πανταᾶ in πάντ᾽ εὖ mutes, *nihil praeterea* videri *requiren-*

dum sit. Atqui non est opus tanta mutatione: ego nihil nisi interpunctionem corrigo:

πάντ᾽ ἂν ἔχοι, καὶ τᾷδε γὰρ λέγεις, καλῶς. :

omnino bene se res habebit; nam isto modo, id est, bene, se habent ea quoque, quae abs te dicta sunt. Afferri huc possunt ex versu 169. πάντᾳ δικαίως et v. 1013. κράτιστα γὰρ πάντᾳ λέγεις. Significandi enim speciem, quae est in τῇδε, eandem videre licet in Euripidis Hecuba, v. 431., χαίρουσιν ἄλλοι, μητρὶ δ᾽ οὐκ ἔστιν τόδε. Non autem admodum acute Porso de Euripidis in Hecuba verbis disseruit, v. 668.

δέσποιν᾽ ὄλωλας· κοὐκέτ᾽ εἶ βλέπουσα φῶς,
ἄπαις, ἄνανδρος, ἄπολις, ἐξεφθαρμένη.

Primum in annotationibus *non male* positum censet in lib. P. κοὐκέτι βλέπεις φάος. Deinde in Addendis, p. 106. Lips., *ipse equidem edidi*, inquit, κοὐκέτ᾽ εἶ βλέπουσα φῶς, *ubi Lib. P. habet* κοὐκέτι βλέπεις φάος. *Quod si quis contra me urgebit, respondebo, veterem lectionem me unius codicis auctoritate mutare noluisse; aliter non minus facile, si* φάος *in* φῶς *semel mutatum esset, vulgatam e* κοὐκέτι βλέπεις φῶς *nasci potuisse, quam illud e vulgata potuit.* At iam non hoc agendum est, ut quaeratur, utrum illorum ex librorum testimoniis sit certius, neque responsum de *vetere lectione* non mutanda *unius auctoritate codicis* est dandum, sed quid rei ac sententiae conveniat, quid dixisse Euripidem rationi sit consentaneum, hoc illud est, quod agitari debet. Hecuba enim quamvis sit misera et aerumnosa mulier, ut periisse vere dici possit ex ea parte, quatenus est fortunae calamitatibus afflicta, et vita eius non est vitalis, tamen luce fruitur communi, et anima vivit. Ergo quomodo tandem est οὐκέτι βλέπουσα φῶς, lucem oculis non cernens? Bios quidem ei οὐκ ἀγαστὸς ἐν φάει, ut loquitur supra, at est tamen, est ἐν φάει. Aliam vero sententiam esse involutam in illis

verbis est necesse: quam sententiam in eum modum expedio, ut structuram interpunctione corrigam:

δέσποιν᾽ ὄλωλας, κοὐκέτ᾽ εἶ, βλέπουσα φῶς.

periisti domina, ipsamque lucem aspiciens non viuis amplius, sive: consumpta es ante mortem: id quod ipsa de se profitetur v. 435. , τέθνηκ᾽ ἔγωγε, πρὶν θανεῖν, κακῶν ὕπο. Ita Philoctetes apud Sophoclem v. 1018. conqueritur se ἄφιλον, ἔρημον, ἄπολιν, ἐν ζῶσιν νεκρόν: quibuscum conferas versum 1030. et Euripidis ex Supplicibus versus 990.—993. Herm. Caecilius apud Gellium Noctium Atticarum libro II. Cap. 23. p. 178., egomet vivo mortuus inter vivos. In hanc rem dictum est illud in Helena, v. 292. , πάντ᾽ ἔχουσα δυστυχῆ, Τοῖς πράγμασιν τέθνηκα, τοῖς δ᾽ ἔργοισιν οὔ. , vitae genere sum emortua, quamvis reapse vivam. Denique crebri sunt tragici istius sententiae luminibus. Ergo abiiciendum illud alterum est, κοὐκέτι βλέπεις φάος, sine ulla controversia, nec potest omnino, utrum utri praestet, ambigi. Quamobrem supervacanea est nec ullum hic usum habet commemoratio participii cum εἰμί iuncti apud Porsonem; *satis — trita est haec locutio non solum apud Tragicos, sed apud Comicos, apud Atticos, apud omnis generis et aetatis scriptores*. deinceps aspersit quibus Hermannum carperet, ad versum 1153. In loquutione οὐκ εἶναι potius vel οὐκέτ᾽ εἶναι versamur; quanquam quid expedit cumulum Wetstenii atque Elsneri acervis addere? neque multus esse in ea voluit Valckenarius ad Euripidis Phoenissas, v. 1349. Restat, ut illud admoneam, copulam in MSS. quibusdam praetermissam isto modo concisam nimis minutis membris orationem facere, reprehendendumque videri Aug. Matthiam, qui eam abstulerit, etsi nec Porso multum huic rei repugnavit. etenim diversa ab illis ratio est in Acharnensibus Aristophanis, v. 1185. , λείπω φάος γε τοὐμόν, οὐκέτ᾽ εἰμ᾽ ἐγώ. , et in eadem Hecuba, v. 683. , ἀπωλόμην δύστηνος, οὐκέτ᾽ εἰμὶ δή. ,

in quem ex superiore illatum est κοὐκέτ' in Harleiano libro: quia in his non est contorta multiplicatis incisis oratio. Tantum igitur molestiae suscipiendum erat in hoc uno loco in summa integritate verborum auctoris ad refutandos errores magnorum virorum.

Ad stropham A'. Locus insignis hic tum negligentia est, tum temeritate Brunckii. *Vulgo legi* dicit: δεῖται γάρ τοιγε σοφοῦ τινος —. At hoc est primum Juntino exemplari A. 1525. proditum, videlicet γάρ τοί γε. unde posteriora, quae mihi iam praesto sunt, praeter Brunckianum occupavit omnia. Gormontianum, Venetum Zanetti. Brubachianum, Basileense Frobenii, et relicua, Aem. Porti, Lugdunense Batavorum A. 1624. Lud. Kusteri, Steph. Bergleri, Invernizii, accentu, si quaeris, correcto in nonnullis. In Juntino A. 1515. propius ad verum est γάρ τοι: quod scriptum tenent MSS. libri, alter Brunckii alter Monacensis, de quo penes me sunt excerpta. Ista conformavi ad perfectam ipsius auctoris orationem,

δεῖται γάρ τι σοφοῦ τινος —.

Quid multa? Hypsaea fuerunt caeciores, ut ait Horatius, editores; adeo plane ac perspicue haec verba expressa exstant apud Aldum. Praeterea quod Invernizius memoriae tradidit in Ravennate legi, uti vulgo: δεῖται γάρ τοι γε, id valde suspicor falsum esse. Nam γέ particula praeter Graece loquendi morem atque sermonis rationem illata metrici manum correctoris arguit, cuius tamen equidem nullum in Ravennati vestigium reperi. Volebat enim metrorum studiosus ille, qui γάρ τοι σοφοῦ legeret, anapaesticum versum effingere tetrametrum catalecticum: quemadmodum non minus atque ille Brunckius sapere sibi visus, ultro resecto τινος, *pulchrum* suum *hexametrum heroicum* amplexus est,

δεῖται γάρ τι σοφοῦ ξυνερήματος ἡ πόλις ἡμῶν.

Fefellit utrumque opinio: quanquam condonandus est

error hominibus in eo genere, in quo existimare certa ista aetate poterant se aliquid profecisse. Sed γελοῖον χρῆμα est ludimagister Schneebergensis, qui in Dissertationis Criticae de Gemina Xenophontis Cyropaediae Recensione Particula Tertia. p. 77., in militari re voluit ea corrigere, quae sua mente ipse assequi non posset. *Quomodo primus lochus*, inquit, *in frontem produci potuerit, haud facile perspicias*. Cum pueris in ludo videtur loqui. Quomodo lochi illic in frontem producerentur, ipsis technicis vocabulis probis atque usitatis declaravi, ut *lochi* cuiusque viri εἰς μέτωπον τοῦ λόχου progressi consisterent universi ἐπὶ τῆς αὐτῆς εὐθείας: quo de nominis μέτωπον significatu exempla exposuit Schweighauserus in Lexico Polybiano p. 388. . Illud autem, si verum quaeris, fecit paullo absurdius idem, quod bona technica vocabula, quae nesciret, corrigere voluit aliis, non minus ipsi incognitis. Denique eo modo, quo ipse arbitratus est, lochos, decadas, pempadas in frontem promoveri, quantas turbas fuisset necesse exoriri inter procedendum. Quae ne fierent, providendum intervallis fuisset, de quibus magister ille ne cogitavit quidem. Xenophon autem, non rudis in re militari, sed exercitatus ac peritus imprimis, non potuisset negligere idoneorum intervallorum descriptionem, in quae postea decades, ac deinceps pempades essent iuxta sese introducendae, quia principio quidem lochi centuriae singuli etiam sine intervallis poterant in eum modum produci.

In antistropha B'. ad extremum addidi πω reficiendi metri caussa, qua particula propter subsequentia nihil facilius credi potest supprimi potuisse.

CAPUT III.

Huic carmini ad partium structuram consimile est illud Spartiatarum chori in Lysistrata inde a versu

1297. Posuit in eo operam suam doctissimus vir, Fred. Thierschius in Jacobsii Florilegio Scholastico: ego autem in hanc formam redegi:

α. Ταΰγετον αὖτ' ἐραννὸν ἐκλιπῶα
ά. Μῶα μόλ' ἐμὰ Λάκαινα πρεπτὸν ἆμιν
β'. κλεῶα τὸν 'Αμύκλαισιν 'Απόλλω
β'. σιὸν καὶ χαλκίοικον 'Ασάναν,
γ'. Τυνδαρίδας τ' ἀγασώς,
ταὶ δὴ πὰρ τὸν Εὐρώταν ψιάδδοντι.
δ'. εἶα μάλ' ἔμβη, εἶα,
δ'. ὦ ἴα κοῦφα πάλλων:
έ. ὡς Σπάρταν ὑμνιῶμες,
έ. τᾷ σιῶν χοροὶ μέλοντι,
δ'. τᾷ τε ποδῶν κτύπος, ᾇ
πῶλοι ταὶ δὲ κῶραι πὰρ τὸν Εὐρώταν
ς'. ἀμπάλλοντι πυκνὰ ποδοῖν
ἀγκονιῶαι, ταὶ δὲ κόμαι
ζ'. σείονθ', ᾆπερ τᾶν Βακχᾶν
θυρσαδδοᾶν καὶ παιδδοᾶν.
ζ'. ἁγῆται δ' ἁ Λήδας παῖς
ἁγνὰ χοραγὸς εὐπρεπής.
ή. ἀλλ' ἄγε κόμαν παραμπύκιδδε,
ή. τᾷ χειρὶ ταῖν ποδαῖν τε πάδη,
ς'. πάδη ᾆτ' ἔλαφος, κρότον
δ' ἅμα ποίη χορωφελέταν.
ἐπῳδός. καὶ τὰν σιὰν δ' αὖ τὰν κρατί-
σταν χαλκίοικον ὕ-
μνη τὰν παμμάχον.

Schema systematis antea prorsus, confusi et obscuri hoc est:



Pauca primo de dialecto dicam Laconica, quae pluribus sint locis communia. De spiritu formarum pronominis, ἁμές, ἁμῶν, ἁμίν vel ἅμιν, ἁμέ in Laconico sermone huius fabulae antiquissimus inter typis excusos et optimus in hoc numero inter antiquos perpetuo propemodum sibi constat Juntinus liber: interdum addidit Ravennatis auctoritatem Invernizius: ac fortasse in ceteris quoque illos videremus congruentes inter sese, si accuratior in hoc genere fuisset ICtus. Nonnulla iam ante Brunckium, pleraque a Brunckio ipso sunt aspiratione affecta: nonnunquam idem sui ipse oblitus instituti lenem reliquit spiritum, vv. 1162. 1254. In priore carmine Lacedaemoniorum bis ἀμὲ Invernizius prodidit, uti est in Juntino: Brunckius in superiore loco ἄμμε ex pravo suo edidit MS. A., a me abunde, ut arbitror, exploso. Idem in Acharnensibus, v. 759., ἀμὲ servavit integrum. Contra mihi in Coniectaneis, I. p. 154., ἅμιν pro ἁμὶν excidit inscienti in oratione Megarensis. In Lysistrata, v. 168., Juntinus liber tenet ἁμῶν, ἁμὶν idem v. 1081. et hic in antistropha ά. et v. 1162., ubi Ravennas ἁμὶν. V. 95. ὅ, τι λῇς ποθ' ἀμέ corrigendum monuit Scaliger in eam sententiam, ut πότ' ἄμε suaderet, fortassis ex Vet.: immo ποτ' ἀμὲ: tenuis immutatae auctores litterae grammatici Brunckii similes exstiterunt. V. 1099. scriptum ab Aristophane videtur: ἀλλ' ἀμ' ἐξελθόν ἄνδρες —: sed quomodocunque haec se habeant, lenem spiritum et Ravennas servarunt et Juntinus liberi. Unicum exemplum asperi spiritus v. 168. ἁμὲς (nihil certe ex Juntino discrepantiae annotavi) censeo mutandum in ἀμές. apud Brubachium est ἄμμες, res nullius momenti. Praeterea, uti Hermannus in libro de emend. rat. Gr. Gr. p. 81. praecepit, ἅμιν scribi oportet et hic et supra v. 1080. pro ἀμὶν. Nec tamen iccirco ὐμὲ ponam pro ὑμέ, sed tuebor ποθ' ὑμέ, asperum spiritum, v. 87.: quemadmodum Megarensis loquitur itemque Boeotus

in Acharnensibus, vv. 737. 739. 760. 862. Atque in Lysistratae versum 1076: quod Brunckius ποτ' ὔμμε de Aeolico more traduxit; id nec ego unde sumpserit habeo, nec ipse prodidit memoriae quicquam. ante Brunckium usque ab Juntino libro editum est ποθ' ὔμμε. De aliis ambiguum est, ut de ἄλλομαι v. 82, quod ex Juntino reposui in Coniectaneis, I. p. 253. ἀγῆται et ὄκα v. 1317. et 1254. a Brunckio mutata reduxit Invernizius, eaque sine dubio ex Ravennati. Alterum tamen recipere non potui: de priore praeclara est modestissimi hominis doctrina, Bergleri: Editio Farrei hic habet ἀγῆται, quod magis est Doricum, ut patet ex Ἀγησίλαος. In suspicionem mihi venit aliquando ᾇπερ. Cogitabam posse verius esse ἅπερ, quia v. 1312. Juntinus liber et Ravennas haberent σείοντ'. Et lenem vero spiritum apud Aldum in Acharnensibus, v. 907. primus consignavit Berglerus. Verum est id tamen infirmae fidei, et in Lysistrata Brunckius edidit σείονθ' ibi ex binis MSS. Regiis. Veteres libri Lysistratae pleraque ferunt in eiusmodi locis αἶπερ, αἶ, et cetera, pro αἵπερ, αἵ sive ᾇπερ, ᾇ: in versu 1258. Juntinus αἶπερ: quidvis facilius librariorum obversabatur animis, quam doricus casus ascripto iota, quod ipsi certe subter posuissent. Versu 84. ᾇπερ ἱερεῖον τοι μ' ὑποψαλάσσετε, accusativi neutrum posuere ἅπερ. Emendavit hoc Florente Christiano praeeunte Berglerus: eius nimirum despexit correctionem Brunckius: [illegible] scripturam, [illegible] hic. Porso in Adversariis, p. 296. Item v. 1316. pro τᾷ vel τᾶ cum legerent τᾶς, uti est in Ravennate, confinxerunt τᾶς potius, quam rationem de dativo inirent. Proinde nihil mirandum in stropha γ'. cum posita esset vitioso accentu, prave versibus distinctis,

ταί τυ τεῶν πτύκος
ταὶ πῶλοι,

inde ortum esse:

καὶ ποδῶν κτύπος.
αἴ τε πῶλοι —

nam καὶ item deinceps continuo pro ταὶ Ravennas habet. Praeterea satis antiquum est, quod novum fortasse multis videbitur, in stropha ζ'. θυρσαδδοᾶν et παιδδοᾶν. Brevem paenultimam Iuntino exemplari proditam editores aetate proximi custodiverunt. In ω eam primum ab Aem. Porto mutatam reperi. Jambicus vero esse debet dimeter acatalectus, ac paenultimam si minus scribendo, at certe pronuntiando oportet corripi. Tantum est autem ultimae flexo accentu circumductae pondus, ut corripiendae in eiusmodi genitivis paenultimae valere omnino in Laconica lingua consuetudo potuerit. Hactenus de vocabulorum formis. Nunc etiam de loquendi ratione afferam aliquid Laconicae dialecti proprium. Crebri enim sunt praecipue usu articuli: id quod facile potest in hac fabula inter legendum ab unoquoque perspici. Itaque in ista eius frequentia fieri non potuit, quin prócliviores librarii eius praetermittendi essent quam admiscendi ejusdem. Quamobrem nullus mihi locus inventus est in hoc carmine, quo resecarem: tris contra vidi, in quos revocarem coniectura probabili, in stropham ζ'. τᾶν ante Βακχᾶν, in antistropham ή. τοῖν ante ποδοῖν, et in stropham γ'. τὸν ante Εὐρώταν, ita ut πάρ τὸν Εὐρώταν posuerim pro παρ' Εὐρώταν. Quocirca in versu 984.

ἔμολον ἀπὸ Σπάρτας περὶ τᾶν διαλλαγᾶν.

prorsus condemno Porsonis iudicium in Addendis in Notis ad Hecubam p. 103. Articulum censet tollendum esse, quia Atticorum in hac re loquendi morem viderat. Multum igitur fiduciae in sua opinione collocavit, esse ἔμολον ἀπὸ Σπάρτας γα περὶ διαλλαγᾶν scribendum. Frustra vero egit, inania molitus est. Ceterum nescio cur διφλλαγᾶν posuerit pro διαλλα-

γᾶν in hoc et itidem v. 1101. Multo autem gravius peccavit Brunckius v. 90. Poterat, et debebat adeo, expulsa μέν particula post χαῖα., conturbatum versum in pristinam formam reducere, — χαῖα, ναὶ τὼ σιώ, Κορίνθιά δ' αὖ., uti est in Ravennate. Sed ille retento quod abesse poterat, abiecit quod erat necessarium. Articulum enim loquendi usus in ea iurandi formula non solum recipit, sed flagitat. Nec Atticae eum omittunt, quum Cererem et Proserpinam invocant: νὴ τὼ θεώ: putamusne Laconas, quum Castorem et Pollucem, et illos quidem studiosissimos articuli? Et hanc opinandi levitatem suam Brunckius etiam pro testimonio numerat ad confirmandam coniecturam de versu 1174.

ἐγὼ δὲ κοπραγωγῆν γα πρῶτα ναὶ τὼ σιώ.

Metri emendandi caussa itidem eiecto articulo, sero advertit animum in Addendis, mendosum esse πρῶτα, quia Laconicae dialecto adversaretur. Itaque temeritati suae cumulum additurus proposuit adhuc πρᾶτα. In versu quidem huius fabulae 316. πρῶτον mihi videor satis perspicue correxisse in Coniectaneis, I. p. 125. Paullo incertior sum in hoc loco. Censeo scripsisse Aristophanem:

ἐγὼ δὲ κοπραγωγῆν γα λῶ ναὶ τὼ σιώ.

Ceterum mirifice in his descripta Spartiatarum est in agris colendis opella. Sed nonnulli videntur Laconis sententiam parum perspexisse. Male Brunckius Berglerum sequutus, quum Attici verba, ἐγὼ γεωργεῖν γυμνὸς ἀποδὺς βούλομαι, transtulisset: *imo exuta veste nudus arare volo*, Lacedaemonii illa sic vertit: *at pol ego stercus convehere quamprimum*. Quid? ergo Lacedaemonios cives, qui cultionem agrorum indignam libero homine haberent atque servis committerent, convehere stercus velle, negotium longe vilissimum omnium? Immo aptissime Spartiates Attico serere iam atque arare cupienti se respondet *certe stercorare* velle

agros. Scilicet non plaustris cophinisque stercore convehendo, sed κοπραγωγῷ γαστέρι, ut ventris onus agens sub dio in agris deponeret. Tantum est laboris, quod profitetur ad agros colendos se collaturum. Denique unicus est locus inter multos, in quo ναὶ σιώ in veteribus libris legitur, v. 81. . Verum est videndum utique, ne corrigenda haec ita sint:

μάλα γ᾽ οἰῶ ναὶ τὼ σιὼ

γυμνάδδομαί γα — .

Censeo equidem sic. Nunc paucula supersunt in chori carmine, de quibus sit admonendum.

In antistropha α΄. libri μῶα μόλε Λάκαινα afferunt. Nihil vidi, quod aptum huic loco facilius potuisset librariorum aciem eludere, quam syllaba μὰ potuit ob vicinitatem simillimae alterius.

Versus 3. et 4. sunt glyconei hypercatalecti praemissa anacrusi. Inde perspicitur, quam vana sit atque inanis coniectura Valckenarii a Brunckio arrepta, tollendum Ἀπόλλω esse. Id ipsum vero ad metri integritatem requiritur, et mordicus est retinendum. Ego nihil nisi Ἀμύκλαις exemplaribus vulgatum auxi ad extremum una syllaba.

In stropha δ΄. alterum εἶα post ἔμβη MSS. testantur duo Regii apud Brunckium, et εἶα in eo loco Kusterus apposuit, ex MS. suspicor. Ceterum ἔμβη, etsi Brunckius praeter Augustanum MS., nihil unde peteret, videtur cognitum habuisse, tamen id ipsum habent exemplaria ante Kusterum edita: idem ex Ravennati protulit Invernizius. Ab Kustero primum vulgarem formam reperio ἔμβα illatam tacite.

In antistropha δ΄. quod veteribus circumferebatur libris ᾠῖα, idem ex Ravennate litteris mandavit Invernizius. Inde Brunckius effecerat novum quiddam ᾤϊα, neutrum plurali numero atque in eam quidem rationem, ut cum feminino congrueret ὠῖαι. Sed sui eum iudicii merito poenituit in Addendis, p. 180. . Ibi meliorem

viam ingressus binos MSS. sequitur Regios, quibus ὤ εἶα est proditum. idem Kusterus occupavit, nec dubitandum est, quin MS. libri praesidio egerit. Ita vero propius ad veritatem accedunt, neque tamen accuratam scribendi formam tenent. Per crasin enim est dictum ὢ 'ïα, id est ὢ εἶα : quae particulae frequenter iteratae sunt in Pace, vv. 486. — 495., et paullo post identidem. Nam ἐΐα sumo trisyllabum in modum tribrachi. Hesychius Volumine I. p. 1097., ἐΐα· λέγεται δὲ καὶ δισυλλάβως εἶα. eadem traduntur a Phavorino. Veruntamen ubi bisyllabum est atque trochaeo servit, quum vel properispomenon soleat vel paroxytonon efferri, eligendum puto εἶα, Eustathio quoque comprobatum, quem Wolfius commemorat in Analectis, Vol. II. p. 435. : quia, si εἶα verum esset, trisyllabum deberet ἔΐα exsistere. At ex εἶα oritur ἐΐα, idque magis spectatae est fidei. In Thesmophoriazusis a Brunckio vv. 659. et 663. in locum paroxytoni illatum εἶα imprudens redintegravi in Coniectaneis, I. p. 270. . In hac tamen voce minus adhuc obsolevit veritas, quam in nomine σφύρα. etenim sunt in accentuum ratione profecto, quorum perdifficilis sit quaestio. Ille qui unus omnium diligentissime atque acutissime versatus est in Homericis carminibus expoliendis prodidit in Odyssea, libro III. v. 434., ἄκμονά τε σφύραν τ' εὐποίητόν τε πυράγρην. Buttmannus in Gr. Gr. A. 1811. p. 67. σφύραν illud loco exempli habuit, in quo α littera producta primae declinationis integra remansisset in epico sermone praeter dialecti consuetudinem. Equidem vero existimo oportere ibi σφῦράν τ' reponi: nam ultima non producitur, sed corripitur. Ignoratum est autem a multis, ut videtur, praeceptum huiuscemodi, quale est inter Regulas de Prosodia Grammatici apud Hermannum de emend. rat. Gr. Gr. p. 437., τὰ εἰς ρα λήγοντα θηλυκὰ καθαρά, εἰ παραλήγοιτο τῷ υ, ἀμοιβαῖον ποιεῖ τὸν χρόνον. εἰ γὰρ ἐκτείνει

τὸ υ, τὸ α συστέλλεται, καὶ προπαροξύνεται, ὡς ἔχει τὸ Κέρκυρα, ὄλλυρα· εἰ δὲ συστέλλει τὸ υ, τὸ α ἐκτείνεται, καὶ παροξύνεται τὰ θηλυκὰ ὑπὲρ δύο συλλαβὰς ὄντα, οἷον πορφύρα. — τὸ δ᾽ αὐτὸ καὶ ἐπὶ δισυλλάβων· πύρα ἐκτείνει τὸ α, συστέλλει δὲ τὸ υ, τό τε λύρα καὶ θύρα βαρυνόμενον. τὸ δὲ σφῦρα ἐκτεῖνον τὸ υ συστέλλει τὸ α. Id ita esse, declaratur Aristophanis in Pace versu 566.,

νὴ Δί᾽ ἡ γὰρ σφῦρα λαμπρὸν ἦν ἄρ᾽ ἐξωπλισμένη.

Prave illic quoque vulgatum est σφῦρα: quae scriptura, communi usu recepta, aliquando me in eundem atque Buttmannum errorem induxit, meque tum commovit, ut metrum esse in eo versu depravatum arbitrarer. Cuius si qui nihilominus paroxytoni propugnatores exsistant, nihil eis exoptatius venerit, quam illud item a Grammatico traditum p. 429., ψῦχος δὲ καὶ τρύχος παροξύνονται. Sed viderint iidem, ne doctrina haec sit a corrupta illorum temporum consuetudine derivata, quam ipse notat Grammaticus paullo ante: τὸ ῥῖγος ἡ συνήθεια παροξύνει, κἂν οἱ ἀρχαῖοι προπερισπῶσι: ac rursus p. 424., γρῖφος· ἡ συνήθεια δὲ ὀξύνει τὸ γρίφος. Haec hactenus. Jam ad crasin quod attinet, ego quam rationem quum in hoc libello tum iampridem in Coniectaneis tenuerim, paucis explicabo. Huius enim quaestionis nullum adhuc omnino a quoquam fundamentum est iactum stabile ac firmum, et ambigitur etiamnum vel inter doctissimos grammaticos. Fredericus autem Augustus Wolfius quum docte nuper de ea re disseruisset in Analectis, tum ad extremum *latine* inquit *ille haec scripsi. Germanice scripta riderent forsitan Germani*. Quod etsi nemini unquam a sapientibus quidem hominibus esse metuendum existimo, ne in minutis quidem rebus versanti, dum quicquid agatur ordine atque ratione fiat, minime tamen omnium Wolfium vereri decuit tantum tamque fortem

virum, quem ipsa natura finxit ad regenda hominum studia, non ab illis ut regeretur. Ordiar autem bona venia summi viri a quodam errato eius. Affert ille p. 445. nescio quam crasin vocabulorum οὐ et ἔφασκεν, οὔφασκεν, vel quomodocunque scribendo exprimatur. Illa vero nec potuit fieri unquam, neque exstitit vere in Graecia. Scio probe unde sumpserit exemplum. Legerat videlicet, opinor, in Ecclesiazusis, v. 410.,

αὐτός γε μέντ' οὔ 'φασκεν ἱμάτιον ἔχειν·.

nam ita Brunckius scriptum cum Kustero reliquit. Inde Aug. Lobeckius ad Aiacem, p. 302., excitavit μέντ' οὔ. In Lugdunensi Batavorum A. 1624. legitur μὲν τ' οὐ φάσκεν: in antiquioribus usque ad Aldum μὲν τοὔφασκεν. Male interpretatus est Brunckius cum Tanaq. Fabro: *ipse enim negabat se pallium habere*. Neque vero Wolfius, quae qualisque in illis deberet sententia inesse, videtur dispexisse. Narratur autem Euaeon in medium prodiisse nudus, uti visus esset plerisque: *ipse tamen*, iam non convenit *negabat*, sed *aiebat sese esse indutum veste*. hoc enim est ἔχειν ἱμάτιον, quemadmodum in aliis locis apud Porsonem in Adversariis, p. 286.. Etenim tam lacerata vestis erat tamque discissa, ut cutem non obtegeret: iccirco ceteri eum putabant nudum esse, ipse vero se uti amictu affirmabat. Hoc est illud ridiculi. Ergo nullus hic locus est particulae οὐ, sed verbis μέντοι ἔφασκεν tantummodo. Haec quomodo sint in crasin conglutinanda, post videbimus. Nunc quaeramus, cur οὐ non possit crasin efficere. Non potest autem propterea, ut arbitror, quia particula quum sit ex earum numero, quas Hermannus procliticas appellavit, tum natura eius vocis huiusmodi est, ut nullo modo transire in aliam vocem queat. Nam proclitica particula, utpote quae ipsa suum tenorem inclinat in proxime insequens vocabulum, non potuit ita efferri pronuntiando, ut ipsius in-

sequentis vocabuli vox ab initio tota per illam obrueretur ac penitus delitesceret, illa contra plena atque integra servaretur. Id caussae est, cur etiam εἰ negem posse in crasin adhiberi. Mendum affecit in Supplicibus verba Euripidis v. 537. Herm.,

ἄνω γὰρ ἂν ῥέοι
τὰ πράγμαθ' οὕτως, εἰ 'πιταξόμεσθα δή.

Quodsi verum esset εἰ, certe iudicii elegantiam auctoris desiderarem in futuro ἐπιταξόμεσθα. Id enim Theseus revera posse negat accidere unquam, ut Creontis imperio serviat; neque eam rem vult ullo modo nisi mente fictam cogitari. Quare mirarer, ni ita Euripides maluisset optativum eligere: εἰ ἐπιταξαίμεσθα. At enim εἰ vitiosum duco, mihique persuadeo auctorem dixisse:

ἄνω γὰρ ἂν ῥέοι
τὰ πράγμαθ' οὕτως, ἢ 'πιταξόμεσθα δή.

Neque vero est existimandum, similitudinem futuri reprehendendi in hac ratione eandem esse atque in superiore. Nam haec secus sunt. In illis universa Atticarum rerum conversio a caussa pendet ea, si Theseus Adrasto sit obediens. Ex contraria parte in his Adrasti in Theseum imperium tanquam ab caussa pendet a communi publicarum perturbatione rerum. Atqui id ipsum in quo caussa vertitur, eloquendum Theseo per optativum fuit, si tempora non re futura sed animo tantum concipienda significare voluit. Ergo huic instituto loquendi aptum potest esse ἐπιταξόμεσθα, non minus atque idem illic est incommodum. De hac re et caussa egisse iam plus interest, quam Dorvillii, Abreschii, aliorum copias de omisso μᾶλλον ante ἤ congestas opera dedita exaggerasse undique. Sufficiat in curiosorum gratiam de Fr. Jacobsii, doctissimi viri, annotatione ad Meleagrum meminisse, Anthologiae Volumine

VI. p. 117. . Ceterum hac ratione sententia convincitur Casp. Valckenarii, ad Herodoti librum V. p. 418., iungentis οὕτως εἰ 'πιταξόμεσθα et post πρᾶγμαθ' interpungentis. Οὕτως in calamitatem rerum designandam intentum, motu aliquo ac gestu corporis in sensus perspicuitatem extollendum fuit, uti in alia caussa in Vespis Aristophanis. v. 279. . Fefellit ergo Erfurdtum coniectura in Sophoclis Oedipo Coloneo, v. 590., de εἰ 'θέλονται cogitantem, etsi Seidlero opinionem hanc ita persuaserat, ut laudaretur ab eo in locupletissimo libro de Versibus Dochmiacis, p. 12. .

Illis igitur constitutis efficitur, non magis quam οὖ 'γῶ vel εἰ 'γώ potuisse Graeco ore proferri ἡ 'γαθή, οἱ 'γαθοί, αἱ 'γαθαί, οἱ 'μοί, cetera similia, neque aliter has voces per crasin, nisi in tertiam naturam, consociari potuisse, ἁ'γαθή, ἁ'γαθοί, ἁ'γαθαί, οὑ'μοί, quia ἡ, αἱ, οἱ sunt proclicitae, neque suapte vi possunt insequentis vocabuli initium in quo nituntur, funditus absumere. Opponat fortasse quispiam ἤ'ξοδος et similia, in quibus proclitica suam retinuerit vocem adempta insequentis vocabuli voce ab initio. Atqui ἡ non ademit ἐ, sed brevem vocalem auxit ad productiorem modum. Adeo non consentio cum Wolfio, quod poenituit eum aliquot in locis Porsoni obsequutum ἁ'γαθοί posuisse *Hodie factum nollem*, inquit p. 458., *ac si nunc fabulas edendas haberem, imitarer potius scribentes οἱ 'γαθοί.* Idem p. 452. vult in communem usum perduci οἱ 'μοί, οἱ 'πιχώριοι, quae in Nubibus instituit, scilicet, ne in οὑ'μοί nescio quae ambiguitas exsisteret, in qua nec Wolfius vere unquam nec ullus Graecus homo laborare potuit. An curat quispiam, quid tironem sollicitet rudem atque inexercitatum? Ab eo vero longe differt aliud genus ambigui, quod utique providendum est, ne alieno loco adhibeatur, quum per similitudinem pronuntiandi animus in ridiculam aliquam cogitationem

fertur, veluti in celebri illo γαλῆν' ὁρῶ. Recte igitur Porso in Euripidis Phoenissis, v. 936., ἀ'λήθεια posuit. Huius addictus auctoritati Blomfieldus vere iudicavit in Museo Critico Cantabrigiensi, Vol. II. p. 183. A. 1813., esse ἀ'ρετὴ reponendum in Supplicibus, v. 606. Quin etiam est, ubi ipsi libri veteres rei huic suffragentur. Verum multo tamen magis antiquissimi quique ac probatissimi libri ad οὐ'μοί et id genus alia tuenda conclamant. Quo magis mirandum est, Porsonem in οἱ 'μοί propensum fuisse, veluti in Hecuba, v. 338., Phoenissis, v. 641., praeeunte Brunckio, quum aliis in locis, tum ad Ranas, v. 461., et ad Oedipum Tyrannum, v. 939.: quo quamvis universis repugnantibus libris suo Brunckius arbitrio οἱ 'πιχώριοι in locum scripti οὐ'πιχώριοι intrusit. Enimvero ubi casus dominatur, non certa ratio, nihil potest quicquam constanter geri. Quamobrem illud in hac caussa Porsoni accidit, ut ne superiori instituto suo congruenter ageret, quia summam rei non perspexerat. Contra laudandus est Elmsleius ob iudicii firmitatem, quod a Porsonis auctoritate discessit in Museo Critico Cantabrigiensi, Vol. V. p. 26. A. 1815. οὖ'ν scribens pro οἱ 'ν. In Nubibus Aristophanis, v. 210., οὐ'μοὶ spectatissimi fide MS. stabilitur Veneti penes Seidlerum. Quoniam autem ἐς, ἐν, ἐκ voculae item sunt procliticae, in illis a contraria parte aliquid considerandum venit, sitne dictum Graece ἥκω'ς, ἔχω'ν, λάβω'κ. Id videndum est, ne nunquam Graecis probatum fuerit, nempe si simplices illae voculae essent, neque cum alio verbo in unum compositae. At dixit Aristophanes: ἐξελῶ 'κ τῆς οἰκίας, ἀγορᾷ 'ν 'Αθάναις: crebro invenitur ἐγὼ'ν et alia huiuscemodi. Recte vero: sed istam crasin ita tantummodo esse concessam existimo, si antecedens vocabulum aut monosyllabum esset, ut in μηδέ πω'ν apud Aeschylum, aut quum ex pluribus syllabis constaret, extremam accentus intenderet. Quod ubi vel in paenul-

tima vel antepaenultima accentus insedit, non potuit quamvis producta ultima ad eiusmodi crasin valere, ut quasi refugientem voculam attraheret. Quamobrem nego Graeca esse εἴθισμαι 'κ, quod Porso voluit inferri in Iphigeniam in Aulide, v. 726., in Adversariis, p. 253., κάθίζωμαι 'ν, κοιμᾶσθαι 'ν, παρεῖναι 'ς, Brunckio arrepta in Addendis ad Thesmophoriazusas, v. 292., πρόϊτω 'ς, quod Wolfio placuit in Acharnensibus facere, v. 241.: quodque Hotibio in Lysistrata, v. 605., χώρει 'ς. neque vero ea sunt via atque ordine in quaque caussa inventa, sed opinione potius quadam conficta, ut ea morari nihil opus sit. Ac postremum illud Hotibii in Lysistrata potuisse pusillum quendam defensorem nancisci, facile crediderам: at tantum virum tam circumspectum ceteroquin Wolfium in Analectis, pp. 453. 454., non putaram mehercules. Nam in illo loco etiam alia quaedam erant et graviora quidem contemplanda. Conferas ad haec parumper quae exposui in Coniectaneis, I. p. 259. et pp. 263. 264.. Idem Wolfius in versu Hegemonis,

δεινὰ παθοῦσα Φακῆ, βδελυρῆ, χωρεῖς τὸν ἀγῶνα.,

probavit cum Casaubono Schweighäuseroque χώρει 'ς. Hoc quoque valde esse imbecillum arbitror. Libri exhibent partim χώρ' εἰς, partim χωρεῖς. Illud factum ab eis puto, qui sententiae perspicuitatem vellent adiuvare. Est autem quaedam diversitas scripturae in proximo nomine. Apud Athenaeum in XV. libro exstat βδελυρά. Ego autem videor mihi inde auctoris orationem perspicere, βδελύρ', οὐ χωρεῖς τὸν ἀγῶνα; . Per eandem figuram adhortandi dictum est in Pluto Aristophanis: σὺ δ' οὐ βαδίζεις; . Qui certamen iubetur ingredi, vocatur in locum concertandi: in quam partem accipiendum est nomen ἀγών: τόπος ἐν ᾧ ἀθροίζονται οἱ ἀγωνισταί, uti est apud Hesychium. Compellasse autem similiter Hegemonem ante narratur ali-

quis: ὦ πάντων ἀνδρῶν βδελυρῶτατε. Quin etiam accommodatius hic mori Graecorum masculinum est. *Quum enim personam circumlocutione significant Graeci, quam citissime ad ipsam personam revertuntur*, inquit Porso ad Hecubam, v. 297. Nam in eis verbis, quae contra protulit Schaeferus ad hunc locum, ecquis est, qui dubitare possit, quin sua Luciano dicta reddiderit Hermannus, δαμεὶς ἄθεον φρένα? In consimili caussa vertitur Horatii illud in Satira I. libri I. v. 63., *At bona pars hominum —. Quid facias illi? Jubeas miserum esse, —*, ubi belle Wolfius astrictam nimis Bentleii gracilitatem sensit minime latinam esse, ac scite aspernatus est. Denique his unum addam hoc. Contigit mihi tandem aliquando, summa Godofredi Hermanni liberalitate, Petri Elmsleii Acharnenses perlustrare, non minus a me diu exoptatum quam rarum in Germania librum. Gaudeo vero me in nonnullis rebus, quas in Coniectaneis potissimum exprompsi, cum eo iudicii societatem opportune coiisse quamvis inscientem. Nunc tamen notandus mihi est vir praeclarus, quod δήσω 'ν conatus est in Equites, v. 367., τούτου'ν in Nubes, v. 592., suo arbitratu introducere, in Addendis: quae prorsus barbara esse censeo.

Jam revertamur ad illud μέντοι ἔφασκεν, quemadmodum in crasin sit exprimendum. Noli quaerere: scribendum est, uti iam Aldus olim edidit, μέν τοὔφασκεν: quomodo ex μοι ἔχρησεν provenit μοὔχρησεν in Vespis, v. 159. Hoc quidem commune est antiquis exemplaribus omnibus. Ita in Equitibus, v. 1177., reponendum est σοὔδωκεν, etsi ab eo paullum discrepant vetusta typis impressa, in quibus σοι δῶκεν legitur. Neque video, cur discedendum sit ab antiquo more scribendi μοὐστίν, σοὐστίν, quem et optimi quique libri tuentur, et Grammatici probaverunt. Ambiguitas enim nota illa et pervagata, in qua laborarunt

nonnulli, non potuit magni momenti in hac re esse Graecis, uti ante iam dictum est. Quare laudandus Elmsleius est, quod tenuit eam formam, annotatione ad Sophoclis Aiacem, v. 1225., in Museo Critico Cantabrigiensi, Vol. IIII. p. 485. . Ad illud *τοὔφασκεν*, pro *τοι ἔφασκεν*, accedit aliquid persuasionis ex Vespis, v. 599. , *ἀλλὰ Θέωρος, καίτοι 'στὶν ἀνὴρ Εὐφημίου οὐδὲν ἐλάττων*, . Ita est in antiquis libris typis impressis. Ex MS. Ravennate Invernizius prodidit *καί που 'στὶν* — ; scribo *καὶ τοὐστὶν* —. et in hac re mecum veluti conspiratione facta consentientem vidi Petr. Elmsleium ad Acharnenses, v. 611. .

Redeo ad *οἱ 'γαθοί*, et cetera, ut crasin articuli persequar. Quod quidem qui iam ponere volent nihilominus, quanto magis iidem scribere debebunt *τοῦ 'νδρός* pro *τἀνδρός*? At quonam iure? quorumnam tandem fide monumentorum? Rite Seidlerus in Iphigenia Taurica, v. 751. , Aldi scripturam *τἀγαμέμνονος* anteposuit alteri ex MS. C. Marclando ascitae *τῷ 'γαμέμνονος*. Nam talia primo in rudiorum gratiam videntur reformata esse. In Phoenissis, v. 896. , Kingius ex malo suo libro *τοῦ 'γαθοῦ* invexit in locum formae *τἀγαθοῦ*. Sed reclamarunt communi consensu optimi libri optimique viri. Kingius prosodiam ignorabat paenultimae in *τἀγαθοῦ*, et Kingio isto non minus librarii saepenumero. Quoniam autem ex veterum Grammaticorum auctoritate probatum est, quemadmodum ex *τῷ ἐμῷ*, *τὠμῷ*, (ex *τῷ ὄχλῳ*, *τὤχλῳ*, veluti in Acharnensibus, v. 257.) ita antiquos ex *τῇ ἐμῇ* fecisse *τήμῇ*, censeo equidem, ut ex *τῷ ἀνδρί* factum est *τἀνδρί*, sic feminini quoque generis articulum dativi vocem suam in aliam naturam convertisse, et ex *τῇ ἀρετῇ* provenisse antiquitus *τἀρετῇ*. Ita *τἀγαθῇ* in Nubibus, v. 61. , afferunt MSS. duo, A. C. Brunckii: in Acharnensibus, v. 838. , *τἀγορᾷ* in nonnullis MSS. legi, me-

moriae prodidit Scholiastes: in Equitibus, v. 1258., eandem formam libri MSS. tenent, τῇ ἀγορᾷ veteres typis impressi, τῇ 'γορᾷ primus Brunckius intulit de suo. Quamobrem verissime puto praecepisse Porsonem: *Articulus*, inquit, *cum ᾰ brevi semper in ᾱ longam coalescit*. Neque tamen iccirco τυχἀγαθῇ scribam, sed retinebo τύχῃ 'γαθῇ. illud enim proprium articuli est, neque existimandum tam late patere.

His iam profligatis quaeritur, utrum scribi debeat, quemadmodum quidam voluere, ὤνθρωπε an ὦ 'νθρωπε, ὠφήμερε an ὦ 'φήμερε, τὠφθαλμώ an τὼ 'φθαλμώ. Alteram rationem illam sequutus est Wolfius in Nubibus, vv. 635. 223. 940. 361. 393., probatam Phil. Buttmanno in Gr. Gr. A. 1811. p. 55., ac nonnullis Britannorum, veluti, quem honoris caussa nomino, Elmsleio. Itaque invito Wolfio putanda sunt excidisse vv. 850. et 1378., ὦ 'νόητε, et ὦ 'ναίσχυντε. Facile enim fieri potuit, ut ista de Hermanni exemplari huc immitterentur, quandoquidem ne menda quidem illius typothetica arceri omnino ab huius contagione potuerunt, v. 73. πατὴρ σοῦ, 747. ὥς pro ὥστ', 193. οὔτοί γ', 905. γιγνώκεις. Sed idem tamen Wolfius parum sibi constitit, quum ὦζυρε poneret v. 646., quod quidem non potest videri casu accidisse, sed mediusfidius factum de industria censendum est, quia ab superiorum exemplo discrepat: talia enim consilio esse instituta, ipse ait Praefatione, p. XVIII. Mihi quidem sic persuadeo, esse rationi consentaneum illud, quae syllaba duobus vocabulis in crasin coeuntibus sua alteram vi tota superet, neque in aliam vocis naturam per commixtionem hanc transferatur, eadem ut tonum suum retineat. Quamobrem rectius duco ὦ 'νθρωπε, ὦ 'φήμερε, τὼ 'φθαλμώ, et cetera: ὦζυρε vero prorsus praeposterum censeo, quoquo modo de relicuis statuas. Probandum esse autem ᾤζυρέ arbitror, quo ferunt duo MSS. Ernesti: sive potius ᾢ'ζυρέ, notatis

et spiritu et vocum commixtione. istud utrum dedita opera an fortuito Invernizius posuerit in Vespis, v. 1544., ambiguum est. Quare etiam τοῦ 'λυμπίου recipio et τοῦ 'ῤῥοπυγίου, quibus a Brunckio antelata sunt τοὐλυμπίου, τοὐῤῥοπυγίου in Avibus, v. 130., Nubibus, 162.; quanquam minime idem his convenienter τοῦ 'βολοῦ tenuit in Equitibus, vv. 649. 662. 945. Nego enim omnino verum esse, quod Porson ad Euripidis Hecubam, v. 734., enuntiavit, exstinctionem ὁ litterae post ου ab usu Graecorum abhorruisse.

Quoniam autem crasis dicitur, quum insequens vocabulum ad antecedens ita attrahitur, ut duae vocales in unam commisceantur, eius rei tria sunt genera. Nam aut prius vocabulum suum retinet accentum, eoque fulcitur posterioris tonus, ut in ὦ 'νθρωπε illo, ὦ 'νερ, ἐγὼ 'φρασα, ἐγὼ 'λεγον, ποῦ 'στιν: aut prioris hauritur accentus posteriore vocabulo, servaturque tonus posterioris, cuiusmodi sunt τἄνδρός, κἀρετή, ἐγῷμαι et alia plurima: aut utrumque retinet tenorem suum, veluti πάππου 'πιθέμην, αὐτοῦ 'ποίησα, κελητίσαι 'κέλευον, σκυτίνη 'πικουρία, δορυξοῦ 'κεινου, ἀξιῶ 'γὼ 'μαυτόν. Atque ex hoc genere est ὦ 'ἰα illud, unde exorsi sumus. Postremo commemorandum est genus quoddam craseos, non scribendo sed pronuntiando duntaxat accommodatum, quam synizesin vocant. In hoc autem numero habenda sunt ὅπου ἔστιν, ἐκείνῳ ἔδωκεν, πλεῖστοι ἔθανον, οὔπω ἔπιον, male vulgo formata in Aristophanis Nubibus, v. 215., Sophoclis Aiace, 1282. Herm., Aeschyli Persis, 488., Cratini versu apud Pollucem libro VI. Cap. 26.: in quibus acuta syllaba posterioris cuiusque vocabuli absorberi nequit.

Et haec quidem universa est ratio, quam in hoc genere quum alibi plerumque, tum diligentius etiam

in hoc libello sequutus sum. His iam singulas res apponam nonnullas memoratu dignas atque a nemine, quantum sciam, in medium prolatas. Vocabula maiore sententiae intercapedine dirempta craseos vinculo consociantur Nubibus, v. 1354. , ἐγὼ Φράσω· 'πειδὴ γὰρ εἰσῃθιώμεθ', et Sophoclis Philoctceta, v. 591. , λέγω· 'πὶ τοῦτον —. Nam quisquis narraturus quidque ita iam se in rem ingredi professus est, continuo tenore quodam vocis facile proximum annectit vocabulum, ut crasis nasci possit. Incondite vero ista figura versui est a Porsone Astydamantis restituendo adhibita in annotatis ad Hecubam, v. 539. : δέξαι· 'Φοιβήθη παῖς, tantumque his verbis sententiarum intercedit discrimen, ut id vocis tenor superare nullo modo possit. Buttmannus in Gr. Gr. A. 1811. p. 54 crasin affert verborum καὶ ἴσος, κἶσος (vel potius κίσος). Id unde sumpserit, me quidem fugit: videndumque est certe, ne alienum fuerit ab iis scriptoribus, qui paenultimam verbi ἴσος nunquam produxerint, quod prope exploratum habemus de Atticis. Quare in eius locum certiorem substituam particulae καί et ι litterae, χἰκετεύετε ex Euripidis Helena, v. 1030. — Neque idcirco ex καὶ ἴσος gigni κἶσος vel κίσος putandum est: nam aliter potest esse, ubi καί cum aspirata littera miscetur. Itaque ex καὶ οἶνος fit κᾦνος, ad eundemque modum Brunckius ad Nubes, v. 92. , κᾠκίαν reponi voluit in Thesmophoriazusis, v. 355. , in locum vulgati κοἰκίαν: at καὶ οἷος committuntur in χοἶος, non in χῷος, καὶ οἱ in χοἰ: apud Atticos quidem, opinor. Non tam memorabilia sunt quam mirabilia Dawesii, κᾄσως ex καὶ ἴσως fictum in Miscellaneis, p. 308. , eiusdem καὐδαίμονος ex καὶ εὐδαίμονος p. 300. . Sed huic tamen longe barbaro antecelluit artificio Chr. Dan. Beckius in Avibus, v. 87. . Apud Aristophanem scriptum κεὐδαίμονα ille convertit in καὐδαίμονα, triphthongo excogitata ᾳυ: idque se consilio fecisse his verbis testifica-

tur: *Scripsi* κἀὐδαίμονα (*h. e.* καὶ εὐδαίμονα) *pro* κεὐδαίμονα —. Crasis autem particulae καί et εὐ diphthongi quantumvis proba sit et usitata in κεὐδαίμων, κεὐθύς, κεὔχομαι et aliis multis, tamen videndum est, ne κήυρυπρωκτίαν veteribus exemplaribus typis impressis proditum in Vespis, v. 1065., male mutaverit Lud. Kusterus in κεὐρυπρωκτίαν. Quaerendum est etiam illud, an verum omnino sit Seidleri mei iudicium in Excursu ad Euripidis Troadas, τὰ αἰσχρά non posse per analogiam in ταἰσχρά coire. Nam τό quoque ubi cum ᾱ brevi coalescit, ᾱ efficit longum: ac nihilominus τὸ αἴτιον contractum est in ταἴτιον binis locis apud Aristophanem, Ranis, v. 1385.; et Thesmophoriazusis, v. 549., et θαἶμα in Lysistrata, v. 205.: quanquam hoc paullum dissimile est propter aspirationem litterae. Porsonem de verbis περιόψομαι ἀπελθόντ' in Ranis, v. 509., in crasin cogitasse coagmentandis, περιόψομ' ἀπελθόντ', non opus teste erat Gaisfordo, sed ipse suum commentum litteris mandavit ad Euripidis Medeam, p. 449.; Ego vero Aristophanem posuisse arbitror:

οὐ μή σ' ἐγώ
περιόψομ' ἀπερχόμενον, —.

Non enim mihi persuadeo, litterae ᾱ ab αι diphthongo prioris vocabuli absorbendae eandem atque ε similitudinem fuisse: ut περιόψομαι 'πελθόντα posset pro π. ἀπελθόντα dici. Hanc viam in Pace, v. 532., importune tentavit Brunckius, et nihil adeo nos commonens invexit κλαῦσαι 'ρα σύ. Antiquissimi libri ferunt κλαῦσ' ἄρα σύ, etiam Ravennas. Jam in hanc partem contentis inter se verbis de Pluti versu 876. οἴμωζ' ἄρα σύ, Nubium 217. οἰμώξεσθ' ἀρα, Lysistratae 505. κλαύσει τοίνυν πολὺ μᾶλλον, auctorem coniicio ad exquisitam verba synizesin aptasse, κλαύσει ἄρα σύ. Ea vocum commixtio in his quidem ore

est non scriptione imitabilis: quae apud Sophoclem in singulari vocabulo per litteram descripta est, Oedipo Coloneo, v. 503., et item in alio loco, auctore Scholiasta, ut ex χρεία fluxerit χρῆ. Ad eam vero crasin quod attinet, quum ε ab αι capitur, quamvis id multis et variis modis sit factum, tamen absonum mihi videtur Porsonis illud μὴ δόξαι 'μὲ in annotatione ad Phoenissas, v. 557.. Admonet me hic locus, ut breviter elisionem diphthongi αι perstringam in Verbis. Elisam eam esse communi Atticorum more in infinitivo aoristi primi activi pariter atque in indicativo et coniunctivo praesentis temporis, nec minus futuri indicativo, passivi ac medii, atque in horum aoristorumque infinitivis, quis est qui nesciat? Neque illud compertum non habemus, etiam in imperativo aoristi medii id usuvenire, veluti in Pace, v. 392., ἀλλὰ χάρισ' ὦ φιλανθρωπότατε, et v. 906., θέασ' ὡς προθύμως ὁ Πρύτανις παρεδέξατο ex MSS. B. et Ravennate. Verum Perfecto Passivi nescio an sit nunquam elisio ista adhibita. Inconsulte Petr. Elmsleius in Museo Crit. Cantabr. Vol. II. p. 180. Octobr. 1813. τέθυχ' in Aristophanis Lysistrata, quod primum Veneto exemplari Zanetti pro mendoso τεθυκί' repositum est, v. 1062.,

καὶ τοῦτο τέθυχ', ὥστε κρέ' ἔδεσθ' ἁπαλὰ καὶ καλά.,

mutari voluit in τέθυθ', elisa diphthongo αι perfecti passivi τέθυται. Putabat enim in τέθυκα paenultimam produci. Sed corripi eam in verbis τέθυκα et λέλυκα docuit Draco Stratonicensis, p. 46. l. 26. p. 87. l. 25.. Revertor ad crasin. De ea duas adhuc proferam notabilis species ex Sophoclis Oedipo Coloneo, v. 1670., φεῦ, 'στιν, et de Avibus Aristophanis, v. 86., μοἴχεται, concretum ex μοι οἴχεται. Priorem crasin paene mihi persuadeo oblitteratam esse in Avibus, v. 1144., τοῦτ' ὦ 'γάθ' ἐξεύρητο καὶ σοφώτατα;, Aristophanemque σὺ 'ξεύρητο καὶ σοφώτατα dixisse, quem-

[illegible] idem tum alia multa eloquutus est, tum maxime v. 362., ὦ σοφώτατ'. εὗ γ' ἀνεῦρες αὐτὸ καὶ στρατηγικῶς.: quanquam καί in illis verbis non est ineptum, si interpungas post ἐξεύρητο, ut in hanc sententiam sint dicta: *hoc inventum erat, idque sapientissime.* Abest particula in Juntinis A. 1515. et 1540.. Cum altera forma comparari potest τοὐρανοῦ natum ex τοῦ οὐρανοῦ in Pace, v. 199., idemque ex Ravennati restituendum v. 847. in locum pluralis τῶν οὐρανῶν, quem Graeculus aliquis corrector ex N. F. importaverat. Quare non est mirandum, me Ravennate MS. adductum contractis ἐγὼ ᾠχόμην Aristophani tribuisse ἐγᾠχόμην in Coniectaneis, I. p. 309.. Comprobavi ibidem insignem synizesin vocabulorum μὴ ἡμεῖς, in Thesmophoriazusis, v. 536., atque etiamnum nego ullo usu esse Porsonis mutationem, μὴ αὐταί Ἡμεῖς γε —. Quocirca equidem non ausim condemnare synecphonesin verborum τοῦ οὐκ apud Archilochum, XVI. in Brunckii Analectis Vol. I. p. 43.,

ἐκ δὲ τοῦ οὐκ ἄπιστα πάντα, κἀπίελπτα γίνεται ἀνδράσιν..

Praeterea digna est, cuius memoria repetatur, synizesis τῇ οἰκίᾳ in Vespis, v. 827.. Jam sit finis huius loci.

Ad stropham ε.. Recte Brunckius posuit ὑμνιῶμες. Pravo accentu MS. B. fert ὑμνίωμες: prava vocali sed incorrupto accentu Ravennas ὑμνειῶμες, utraque re depravata ex Juntino exemplari vulgatum est ὑμνείωμες. Versus autem metro constat Anacreonteo. Ad hunc modum videtur metiendus esse in Thesmophoriazusis versus 984.,

νηστεύομεν δὲ πάντως,

qui refertur strophico v. 976.,

κλῇδας γάμου φυλάττει:

ac nescio an hunc iniuria in suspicionem vocaverim in Coniectaneis, I. p. 246.

In antistropha ε. pronuntiandum σιῶν tanquam monosyllabum esse, praecepimus in Coniectt. I. p. 291., et quibus contrahendi ratio ista finibus teneatur, ostendimus. An reclamabit etiamnum Boeckhius, sicuti iudicium fecit ad Pindari Olympiorum Carmen XIIII. p. 430., *nugas* esse, si qui Καφισίων putarent trisyllabum pronuntiari posse? *quippe contractionis huius nullum in veteribus certum est exemplum, speciosa multa.* quem tamen praestanti ingenio atque exquisita doctrina virum, quantum ego ex animo diligo, tantum ei mea studia, cupio approbare.

Quae ad antistropham γ'. emendandam pertineant, nonnihil iam supra est dictum. Ταὶ κῶραι integra sunt Juntino libro prodita: et quae in his desideratur particula ad connectendam cum praecedenti enuntiationem, assumpsimus de scriptura librorum MSS.; δ'αὶ κόραι. etenim cetera aliena sunt a dialecto Laconica.

Stropha ς'. exemplaribus vulgatum ἀγκονεῦουσαι est nihili, nec potest ambigi, quin labes in eo aliqua sit insita. In MS. B. est ἀγκονέουσαι. Ad hoc vero nihil habeo quod propius accedat, quam ἀγκονίωαι, dialecto Laconica participium ab ἀνακονίω. Longius recedit Brunckii ἐγκονιῶσαι pro ἐγκονοῦσαι: neque etiam est prorsus Laconicae dialecto congruens.

Stropha ζ'. quod Kusterus suaserat, ut participium verbi παίζειν reponeretur παίδδ— pro παδδ—, ei fidem addidit Brunckius duorum MSS.

Antistropha γ. male Brunckius χερὶ ex Regiis suis petiit. Vulgatum Juntino χειρὶ servavit MS. Ravennas. Deinde πᾶ δὴ Juntini Kusterum in πάδη recte convertisse liquet, etiamsi non declarassent MSS. libri,

in quibus id ipsum positum est Augustano et Ravennate, metrum iterando verbo complendum esse, docent Brunckii MSS. Regii et Kusteri Vaticanus, in quibus bis est πάδδη.

Antistropha ϛ'. scripturam librorum ἅτις vel αἵτις metri corrigendi caussa mutavi in ἅτ'. Idem mendum pervenit in versum 1249. ita cum priore conformandum:

τὼς κυρσανίως ὦ Μναμόνα
τὰν τεὰν Μῶαν, ἅτ'
αἶδεν —

Hic respondent in antistropha vv. 1251. 1252.

ὄκα τοὶ μὲν ἐπ' Ἀρταμιτίῳ
πρόκροον θείκελοι
ποτ τὰ —.

In epodo τὰν σιὰν accusativum, quo inter se antiqui conveniunt libri, non video cur Brunckius cum genitivo commutaverit τᾶν σιᾶν. Satius erat imperativi formam ὕμνει corrigere ad huius carminis dialectum apte: ὕμνη: in quo laudanda est diligentia Thierschii.

CAPUT IIII.

Paucis admonitionibus defungi licet in Thesmophoriazusarum antistrophica carminis concinnitate renovanda, vv. 953. — 1090. Res autem sic agetur:


προῳδός. ὅρμα, χώρει· κοῦφα ποσὶν
ά. ἄγ' ἐς κύκλον, χειρὶ ξύναπτε χεῖρα,
ά. ῥυθμὸν χορείας ὕπαγε πᾶσα, βαῖνε
β'. καρπαλίμοιν ποδοῖν, ἐπισκοπεῖν δὲ
πανταχῇ κυκλοῦσαν ὄμμα χρὴ χοροῦ κα-
τάστασιν.
γ'. ἅμα δὲ καὶ
γένος Ὀλυμπίων θεῶν
μέλπε καὶ γέραιρε φωνῇ πᾶσα χορομανεῖ
τρόπῳ.
γ'. εἰ δέ τις
προσδοκᾷ κακῶς ἐρεῖν
ἐν ἱερῷ γυναῖκά μ' οὖσαν ἄνδρας, οὐκ ὀρθῶς
φρονεῖ.
β'. ἀλλὰ χρὴ ὥσπερ ἔργον αὖ τι καινὸν
πρῶτον εὐκύκλου χορείας εὐφυᾶ στῆσαι
βάσιν.

Deinceps sequitur stropha δ'. inde a v. 968. — 976. et antistropha δ'. a versu 977. — 984., pauculis et leviculis quidem rebus corrigendis, ποσὶν in ποσὶ, v. 972. Ἑκάεργε in Ἑκάεργ'. nam v. 982. amplector cum Kustero emendationem Biseti, χάριν χορείας, ut vetustae scripturae χαίρειν χορείας Juntini libri, et MSS. Ravennatis Augustanique proximam. Nihil plane auctoritatis est his tribuendum, quae in Veneto primum Zanetti reperta et in Farreanum exemplar perducta, χεροῖν χορείαν, custodiverunt Berglerus et Brunckius. Ceterum in stropha α'. libris editum est σύναπτε pro ξύναπτε, et antistropha β'. εὐφυῆ pro εὐφυᾶ. In hanc Atticorum formam Brunckius etsi advertit animum, tamen expers fuit caussae idoneae, cur reiiceret. Jam pervenimus ad alterum systema:

προῳδός. ἀλλ' εἶ' ἐπ' ἄλλ' ἀνάστρεφ' εὐρύθμῳ ποδί,
τόρνευε πᾶσαν ᾠδήν·
ά. ἡγοῦ δέ γ' ὧδ' αὐτὸς
ά. κισσοφόρε Βάκχειε

δέσποτ'· ἐγὼ δὲ σὲ κώμοισι
φιλοχόροισι μέλψω.
Εὔιε, ὦ Διόνυσε
Βρόμιε καὶ Σεμέλας παῖ,
χοροῖς τερπόμενος κατ' ὄρεα Νυμ-
φᾶν ἐρατεινοῖς ἐν ὕμνοις.
Εὔιον, Εὔιον, εὐοῖ,
εὐοῖ, ἀναχορεύων.
ἀμφὶ δὲ σοὶ κτυπεῖται —
Κιθαιρώνιος ἠχώ,
μελάμφυλλά τ' ὄρη δάσκια καὶ
νάπαι πετρώδεις βρέμονται·
δ'. κύκλῳ δὲ περὶ σὲ κισσός
δ'. εὐπέταλος ἕλικι θάλλει.

Duplicis systematis figura haec est:



In Proodo emendationem Bentleii ad Horatii A. P. v. 441. p. 701. propositam sine ulla dubitatione complexus sum. Vulgatum τόρευε asservavit Suidas V. τορεύει, Vol. III. p. 488.

Post αὐτός quod est in stropha α'. expunximus σύ. Respuit enim metrum, et est nonnunquam a librariis vel Grammaticis nomini αὐτός aspersum, ut in Nubibus, v. 868., αὐτὸς τρίβων εἴης ἂν —.

In stropha β'. σὲ in libris ante φιλοχόροισι collocatum in suum locum transposui, inclinato tono, ante κώμοις.

In stropha γ'. ἐρατοῖς mutavi in ἐρατεινοῖς.

In antistropha β'. redintegravi evantium exclamationem εὐοῖ ante ἀναχορεύων.

In antistropha γ'. nomen Κιθαιρώνιος in plerisque exemplaribus neque a Iuntina macula est affectum, quam in uno Veneto Zanetti elutam reperio. nam in relicuis omnibus, quae mihi praesto sunt, est Κιθαρώνιος, unius privatione literulae absonum et absurdum. Nihil tamen vera scriptura Bisetum praeteriit, neque Hotibium, p. 127. & Virgilius Aeneide, libro IIII. vv. 302. 303. ,

— audito stimulant trieterica Baccho
Orgia, nocturnusque vocat clamore Cithaeron..

ADMONITIONES.

Quibus legibus ratio haec antistrophica nitatur, disertis verbis enuntiavi: in melicis enim carminibus ei locum esse dixi. Melica autem carmina ea sunt, quae canuntur. Ita ex ipso cantu et vocum modulatione numerorum repetitio facillime apparebat. Eiusmodi et alia nonnulla sunt Aristophanis, quae suo loco explicabuntur, et illud Strepsiadis canticum in Nubibus vv. 1157—1170., quod eum in modum esse comparatum, uti descripsi, quis iam infitiabitur? Verum in Sophoclis Oedipo Coloneo Hermannus in Elementis Doctr. Metr. p. 771. antistrophica fecit, qualia ego statuere non ausim:

τίνος εἶ σπέρματος, ὦ ς′.
ξένε, φώνει πατρόθεν. ς′.

In Ecclesiazusarum carmine cavendum est, ne quis *φιλόσοφον* in discrimen vocet. In eo enim ipsa summa argumenti fabulae est proposita. Quod si quis non sua sponte, quale sit, intellexerit, adeat velim A. Guil. Schlegelium in libro, Vorlesungen über dramatische Kunst und Litteratur, p. 303.. Quare fortasse nunc melius perspicies ironiae venustatem in philosophiae pronuntiatione heroicos modos imitante, secundum *αἰόλον ὄφιν*, et *ὀφιοβόρης*, et quae reliqua attigit Schaeferus ad Theogn. v. 1057.. Hac enim inusitata ratione Comicus lepide aures mentesque percussit, quasi quis mulieres philosophas ita induceret sermone vernaculo loquentes:

Ietzt ziemt's tiefen Verstand und Philosophey
zu erwecken.

id est nimirum subtilius dictum quam veteris poetae nostratis Logavii Hundsphilosophey apud Lessingium in libro, Beiträge zur Kenntniss der deutschen Sprache, Vol. VIII. Opp. p. 200, 201.. Omnino autem Comicum ipso fabulae argumento in eam necessitatem adductum, ut φιλόσοφος nomen chori versibus includeret, quonam alio modo putas eum in dactylico metro vocabulum brevibus syllabis abundans tractare maluisse? ita nempe, ut ictus insolentia in sapientiae syllabam caderet. Hac enim gloria ridicule hic gestiunt mulieres, neque in lingua sua consilii vim sed in mente ponunt, omnia maxima tribuentes sibi. Quamobrem repugnat ipsarum de se iudicio γλώττης ἐπίνοια. Cedo, quid est in eo faceti, cum ipsae suam modo praedicarint πυκνὴν φρένα? Illo igitur modo Aristophanes non mulieres, sed ipse semet derisisset. Bonum enim poetam oportet orationem ingenio personae cuiusque accommodare. Mulieres autem ipsae quoque de sese honorifice sentiunt. Quanto igitur ille melius Lysistratae orationem concinnavit: ἐγὼ γυνὴ μέν εἰμι, νοῦς δ' ἔνεστί μοι, Αὐτὴ δ' ἐμαυτῆς οὐ κακῶς γνώμης ἔχω, vv. 1127. 1128.. Atque eodem modo in Ecclesiazusis scriptum fuit γνώμης ἐπίνοιά. Confusionem eorum nominum eandem videas in Sophoclis Electra, v. 1174., a Scholiasta notatam.

Deinceps nimia lenitate atque modestia iudicii usus sum in condemnanda loquutione πολίτην δῆμον, quam in πόλιν πάνδημον mutando nihil mihi videor verius vidisse. Nam quid potuit ieiunius dictum Atheniensibus accidere, quam hoc: τῶν πολιτῶν δῆμος? eo enim valet illud. Quasi non Δῆμος ipse universos complectatur cives, et quicquam aliud fuerit quam πολιτῶν κοινωνία. Itaque multifariam legas δῆμος τῶν Ἀθηναίων, nunquam δῆμος τῶν πολιτῶν simpliciter, nedum τῶν πολιτῶν δῆμος.

Contra invenias πόλις καὶ δῆμος, ut Demosth. Leptin. §. 45.: non vero πολῖται καὶ Δῆμος, quia Δῆμος ipse sunt πολῖται. Sed illud optime Demosthenes περὶ παραπρεσβείας p. 381. l. 25., ἅπαντας ὑμᾶς καὶ ὅλον τὸν Δῆμον, ut universos praedicaret: atque ita liceat πάντα πολίτην δῆμον dicere: sed omissa universorum commemoratione, nihil novi frigidius.

Ad repetitum in extremo carmine πω conferas ex Euripidis Heraclidis, v. 769., οὔποτε θνατῶν ἥσσονές ποτ' ἂν ἔκ γ' ἐμοῦ φανοῦνται.

P. 16. nihil mihi videbar exquisiti narrare, quum Laconas esse imprimis crebros usu articuli dicerem. Sufficiet experienti unam Lysistratam attente perlegere. Nam ne longe discedam, ex uno carmine quindecim ascribam versus duodecies articulum gerentes, 1247—1261.:

α'. ὅρμαον
β'. τὼς κυρσάνιως ὦ Μναμόνα
τὰν τεὰν Μῶαν, ἅ-
τ' οἶδεν ἀμὲ τώς τ' Ἀσαναίως·
β'. ὄκα τοὶ μὲν ἐπ' Ἀρταμιτίῳ
πρόκροον θείκελοι
ποτ τὰ πολλὰ κᾶλα, τὼς Μήδως
α'. τ' ἐνίκων·
Α'. ἀμὲ δ' αὖ Λεωνίδας
Α. ἆγεν ᾇπερ τὼς κάπρως
ἐπῳδός. θάγοντας, αἰῶ, τὸν ὀδόντα.
Β'. πολὺς δ' ἀμφὶ τὰς γέννας ἀφρὸς ἤνσει,
Β'. πολὺς δ' ἅμα κὰτ τῶν σκελῶν ἵετο.
ἐπῳδός. ἦν γὰρ τὤνδρες οὐκ ἐλάσσως
τᾶς ψάμμας, τοὶ Πέρσαι.

In his quum novem insint nomina substantiva appellativa, octo eorum articulo sunt praedita: unum vacat, ἀφρός. Quumque praeter vocativum ὦ Μναμόνα, sex insint propria nomina, quatuor cum articulo,

duo sunt sine eo. Nescio equidem par ex Attica dialecto carmen.

Errorem p. 19. a me notatum, iam prius correxit Buttmannus in Grammat. A. 1817..

His, quae p. 24. de crasibus praepositionum procliticarum praecepi, repugnant Sophoclis Oedip. Tyr. v. 970. εἴη 'ξ ἐμοῦ et κλίνῃ 'ξ 'Αλεξάνδροιο in Epigr. Epidictico 477. Anthol. Palatin. IX.. Sed istud tamen genus videtur ab communi usu recessisse.

P. 25. Miror neminem mihi opposuisse ex Aristophanis Ranis versum 714.,

χρόνον ἐνδιατρίψει· εἰδὼς δὲ τάδ', οὐκ.

Sed χρόνον multis verbis a πολὺν, quod est in v. 708., separatum, hoc in loco paene nimia sedulitate inculcatur, in Borgiano autem post Verbum transpositum est. Inde colligas, a glossatore admixtum esse ad ellipsin enucleandam. Et id ita est, ut mihi videtur, versusque sic restituendus anapaesticus:

ἐνδιατρίψει· εἰδὼς δὲ τάδ', οὐκ.

P. 31. quod crasin respui περιόψομαἀπελθόντ', id nunquam non improbabo. nam Platonis Comici exemplum ab Gaisfordo memoratum ad Hephaestionem p. 222.,

ἄσπλαγχνος ἐνιαυτίζομ' ἀπλακοῦντος, ἀλιβάνωτος,

refero in eorum numero, de quibus disputatum est in Coniectt. p. 102.. Neque crasin agnosco eam, quam Elmsleius ad Sophocl. Oedip. Tyr. v. 1227. in Lysistrata statuit v. 115., δοῦναι ἄν. Sed in Ranis, v. 509., corrigendum duco sic:

οὐ μή σ' ἐγὼ

περιόψομαί γ' ἀπιόντ'.:

οὐ μὴ — γε, ut in Euripidis Heraclidis, v. 385., οὐ γάρ τι μὴ ψεύσῃ γε κήρυκος λόγος.

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA JENENSI
FROMMANNI ET WESSELHOEFTI
SUMPTIBUS LIPSIENSIS LIBRARIAE
WEIDMANNIAE.